

THOMÆ MORI  
EPISTOLÆ,  
QUIBUS ADJECTÆ  
SUNT  
ERASMI ROTERODAMI  
AD  
THOMAM MORVM  
EPISTOLÆ.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,  
Ex Officina Christiani Genschii.

# THOMAS MORUS

## MARTINO DORPIO

S. D.

**S**i mihi ad te venire tam esset liberum, quam  
vehementer, mi Dorpi, cupio, tum ista  
qua nunc parum commode committit literis,  
commodius tecum coram ipse tractarem;  
tum quo nihil mihi jucundius potuisset accidere,  
te ipso interea praesens presente perfueret: cu-  
jus videndi, cognoscendi, complectendique,  
mirum pectori meo desiderium inservit Erasmus,  
utriusque nostrum amantissimus, tum utrique  
(uti spero) ex aequo carus. Nihil est enim quod  
ille majore cum voluptate faciat, quam ut apud  
praesentes amicos suos abentes praedicit. Siquidem  
cum sit ipse plurimis, idque in diversis orbis  
terrarum partibus, doctrinae suavissimorumque  
gratia carissimus, conatur sedulo, ut quo in unum  
se omnes animo sunt, eodem etiam inter se om-  
nes conglutinet. Non cessat ergo apud univer-  
sos singularium amicorum quemque referre, &  
quo in cunctorum amicitias insinuet, omnes cu-  
jusque doce, quibus amari promereatur, expo-  
nere. Quod cum ille assidue faciat de omnibus,  
de nullo tamen sapis, de nullo facit effusius, de  
nullo quam de te, carissime Dorpi, libentius;  
quem ita dudum celebravit in Anglia, ut nemo  
sit ibi literatorum virorum, cui non Dorpii no-  
men aequum notum celebreque sit, atque Lovani-  
ensisibus ipsis, quibus est (ut debet esse) celeber-  
rimum. Seorsum vero ita te depinxit apud me,  
ut jam olim pulcherrimam animi tui imaginem,  
planeque eandem apud animum meum praesum-  
perim, quae mihi, posteaquam hic appuli, ex  
elegantissimis opusculis tuis eluxit. Itaque cum  
me primum scirem ab invictissimo Rege nostro  
in has partes legatione functurum, crede mi  
Dorpi mihi, non pro minimo itineris tanti pre-  
tio ducebam, quod oblata mihi videbatur occa-  
sio, qua tecum quoquo pacto congregederer. Ve-  
rnum istam convenienti tui facultatem, quam  
præbitam esse peraveram, negotii nobis demandati  
ratio præripuit, quae me Brugis, ubi cum  
magnificis Illustrissimi Principis nostri Oratori-  
bus res ut nobis tractareretur convenerat, alligavit.  
Quo fit, ut nunc vehementer doleam, (quum  
hæc legatio mihi multis alioqui nominibus arri-  
deat) qua tamen in re optaveram maximè fortu-  
nam adfuisse propitiam, ea me maximè ab illa de-  
stui. Verum (ut ad id tandem veniam quod me  
coegerit in præsenti scribere) dum hic versor, in-  
cidi forte in quodam, qui mihi non alieni à lite-  
ris videbantur. Apud hos de Erasmo & de te  
item sermonem ingero: illum ex literis ac fama,  
teverò etiam alias noverant. Narrant mihi rem,  
ut parum latam, ita neutiquam credibilem, te  
videlicet in Erasmum animo esse parum amico,  
idque ex literis ad eum tuis liquere: quas (quo-  
niam ad credendum ergi è me adduci videbant)  
postea die allaturos te esse pollicebantur. Re-  
dierunt nostridie, tum literas ad me ternas ap-

portarunt, unas abs te ad Erasmus scriptas, quas  
ille (quod ex ejus responione colligo) non ac-  
ceperat, sed earum exemplar, id quod mihi nunc  
evenit, nescio quo monstrante perlegerat. In his  
Moriam insimulas, & ad sapientiae laudem invita-  
tas: institutum ejus de emendando Novo Testa-  
mento ex Græcis codicibus tam parum probas,  
tam angustis limitibus ut coarctet suades, ut penè  
in universum dissuadeas. Alteræ fuerunt ipsius,  
quibus tibi breviter, utpote fessus ex itinere, atque  
ad eum in eodem adhuc itinere occupatus, satisfa-  
cit, copiosius idem se facturum professus cum  
Basileam delatus esset. Denique tertia litera tuæ  
fuerunt, quibus rursus ad hanc Erasmi respondes  
epistolam. Has ego cum præsentibus illis perle-  
gillum, quanquam erant aliqua, non quæ mihi  
quidem inimicum esse te illi persuaderent (quid  
enim possit esse tale, ut hoc perluadeat mihi?) Sed  
animo tamen aliquanto magis turbido, quam  
expectaram: tamen quia hanc opinionem illis ex  
animo eradi potius quam confirmari cupiebam,  
asserui, nihil ibi legisse me quod non ab amicissi-  
mo pectore profectum videatur. At, inquit eo-  
rum unus, non aestimo quæ scripsiterit, sed meo  
judicio neutiquam amicè fecit omnino quod  
scripsiterit. Nam si Moria quenquam tam ve-  
hementer offendit, quod ego nusquam, ne Lovani  
quidem, quanquam ibi post editam Moriam se-  
pe multumque versatus, audivi, præterquam ab  
uno aut altero morosissimis atque infantissimis  
senibus, & quos ibi pueri quoque rident: quum  
alioqui & hic & ibi tam grata fuerit omnibus, ut  
multi multas ejus partes memoriter ediscant et-  
iam. Verum quod cœpi dicere, si Moria quen-  
quam tam vehementer offendit, ut Erasmus ad  
palinodiam quoque videretur invitandus: tamen  
quum Dorpius non ita pridem accessitus ad  
Erasminum esset, idque (ut ipse scribit) solus, quid  
stinebat scribere? Si quid monendum puta-  
vit, cur non præsentem præsens admonuit?  
cur non (ut apud Terentium est) coram quæ fa-  
cto opus esset imperabat, potius quam cum ex-  
isset, clamaret de via, idque Erasmo tam longè  
semoto, ut quæ eum aut primum, aut etiam lo-  
lum audire oportuerat, ea & solus aliquandiu  
nesciverit, & postremo non nisi per alios acce-  
perit? Qua in re vide (inquit) quam sincerè faciat.  
Primum, quem nemo accusat, eum apud omnes  
defendere se simulat: deinde, quibus eum ra-  
tionibus tuerit, cur nescio an quisquam audiat  
quæ contra eum objicit, (præter eum solum, qui  
solus debet) publicè legunt omnes. Hæc cum il-  
le dixisset, aliquique eorum alia, quæ nunc non ne-  
cessere habeo commemorare, ita respondi, atque  
ita à me dimisi, ut facile intelligerent, nil sinistri  
me de te libenter audire, animoque esse in te pro-  
pemodum aequè propenso atque in Erasmus  
ipsum,

Ipsam, in quem tam propenso sum, ut esse propensiore non possim. Nam quod scribere ad eum, quam coram rem tractare, maluisti: quocunque tu id consilio feceris, certe non fecisse malo, & ego, mi Dorpi, mihi pro mea de te opinione persuadeo, & ille certus animi erga se tui non dubitat. At secundas istas literas tuas, quæ jam passim parum secunde leguntur, nullo omnino consilio tuo, sed planè casu quopiam in publicum emanasse crediderim. In quam sententiam vel ed in primis impellor, quod in his nonnulla sunt hujusmodi, ut planè mihi persuadeam, te si velles emittere, fuisse mutaturum, utpote non satis idonea, quæ vel ad eum scriberentur, vel abs te. Neque enim quædam tam acerbè ad amicum tantum, neque tam neglectim ad hominem tam doctum: imò sat scio & pro modestissimo ingenio tuo clementius, & pro eximia doctrina tua scripisses accuratius. Potò jocis, scommatibusque, quibus plus quam modicè scriptio tota sceleret, non dubito quia usurus fueris, aut aliquanto parcias, aut certe, mi Dorpi, falsius. Namque quod Moriam insectaris, quod in Poëtas invehiris, Grammaticos omnes subsannas, Annotationes in sacram Scripturam parum probas, Græcatum literarum peritiam non admodum ad rem pertinere censes: hæc inquam omnia non magnifico, ut in quibus citra cuiusquam offendam liberum cuique sit sentire quod velit: & ita abs te lunt adhuc disputata, ut non dubitem quin inter legendura multa cuique succurrant, quæ responderi ex adverso debeant. Potò tantum abest ut in horum quenquam ni-mium abs te dictum existimem, ut in quibusdam etiam multa desiderem, quibus optarem hoc scriptum tuum ad Erasmum prodiiisse instrutius; quo major ei præberetur occasio sua ex diverso castra majoribus operibus communendi. At istud certe me non nihil commovit, quod Erasmum in eo libello tuo videris aliquanto se-eus, quam te atque illo est dignum, attingere: quippe quem ita tractas, tanquam modò contemnas, modò velut è sublimi detideas, interdum quasi non admoneas, sed tanquam patruus aut tristis censor objuges: postremò verbis ejus aliorum detortis, Theologos omnes, atque adçò Universitates quas vocant, in eum concites. Nec in eam partem accipi hæc mea scripta volo, quasi adversus te, quem planè credo nihil horum illa in eum malignitate fecisse, ego, cui nimis ipsum patrono opus sit, in patrocinium suscipiam illum, quem certe majorem & haberi apud omnes, & esse scio, quam ut in eorum ordinem redigi debeat. Sed quoniam te amo, famæque tuae bene cupio, idcirco admonere te eorum volui, unde ansam apprehendunt hi, qui. bus modestia tua & verè cygneus animi tui candor non satis exploratus est, qua famæ te, & tuae nimis avidum, & alienæ insidiantem, putant. Utinam, Dorpi, quemadmodum Æneas se apud Vergilium circumseptus nebula Catthaginensis immiscuit, ac se tuaque facta in tapetibus depicta spectavit: sic utinam non visus ipse videre posset, quo vultu posterior hæc

epistola tua legatur. Sat scio longè majores mihi gratias habendas duceres, qui te sincere admoneam ut mutare possis: potes námque mutando efficere, ut hanc omnes ( id quod ipse facio ) non emissam tibi, sed elapsam judicent, quam eis qui quæ te coram adulati laudant, eadem clam etiam ipsi lacerant. Quanquam profectò miror, si quisquam usque adeò adulari in animum inducat suum, ut ista vel te præsente collaudet, quæ ut cœpi dicere, utinam per cancellos transpicere possis, quo vultu, qua voce, quo affectu legantur, cum apud Erasmus non lemel inculcas *Theologos Nostros, Erasmus, & Grammaticos Vestros*: quasi cum ipse sublinitas in Theologorum ordine consideas, illum deorsum inter Grammaticulos detrudas. Et sedes tu quidem inter Theologos meritò: nec sedes modò, sed præsides quoque; nec ille tamen è Theologorum soli in Grammaticorum subsellia de-pellendus. Quanquam Grammatici nomen, quod tu frequenter quam facetius irrides, Erasmus opinor haud aspernabitur, imò ( ut est modestus ) quanquam meretur maximè, fortassis nec agnolcit tamen: quippe cùm sciat, Grammaticum idem omnino significare quod literatum, cuius officium per omnes literarum species, hoc est, per omnes sece disciplinas effundit. Quo fit, ut qui Dialecticem imbiberit, Dialecticus: qui Arithmetican, Arithmeticus vocari possit: tum in cæteris artibus ad eundem modum. At literatus, mea certe sententia, nisi qui omnes omnino scientias excusserit, appellari nemo debet: alioquin & infantibus licet Grammaticorum nomen attribuas, quicunque ex Alpha & Beta literatum formas edidiceré. Quod si tu eos tantum Grammaticos esse vis, quos ais ferulas sceptrorum vice gestantes in antro plagoso regnare: tum Philautia ac Motia stultiores, arbitri, se omnes nosse disciplinas, quod voculas intelligunt ipsas & orationum structuram; ego mediustidius, mi Dorpi, etiam eos quanquam procul ab disciplinis esse concederim, tamen aliquanto proprius accessisse puto, quam Theologos illos, qui & structuram orationum & voculas ipsas ignorant: ex quo gènere, & ego aliquot, & tu ( ut opinor ) plures ( quanquam uterque fedulò dissimulamus ) agnoscimus. Erasmus certè neque illis ex Grammaticis est, qui tantum voculas didicerunt: neque ex his Theologis, quibus præter perplexum quæstiuncularum labyrinthum nihil omnino cognitum est: sed ex illo Grammaticorum genere, quo Varro atque Arianthus: ex illo Theologorum, quo ipse tu, mi Dorpi, hoc est, ex optimo; ut qui nec illas quæstiunculas iguoreret, & quod tu quoque abunde fecisti, longè utiliorem bonarum literarum, id est sacratum maximè, tum cæterarum quoque, peritiam adjunxerit. Sed pergo in epistola tua; in qua illud quoque ejusdem fermè notæ est, si unquam *Decretales*, Erasme, videris, quasi Decretales epistolas, quas tu vidisse te significas, ille vide-licet nusquam videre potuerit. Jam illud quale est quod in eum objicis, aquam ardea perturbata esse & imperis item omnia perturbata,

quies in disceptandi palestram descendit. Et illud præterea: Non enim potes, Erasme, dijudicare inter Dialecticum & Sophistam quid interfit, si utramque artem ignores. Et paulo post; nisi forte tibi Sophista sunt, omnes quibus disputatione videaris inferior, hoc est. omnes Dialectici. Ita, ne queso, Dorpi, putas perturbata Erasmo omnia disputanti fore, neque aus quid Dialecticus sit, aut quid sit omnino Sophista, novisse, & eum nescire lolum, quem ferme pueri sciunt omnes? At Rhetoricam opinor vel tu propriam ei ac quodammodo peculiarem esse concedes: quam si tribuas, nescio qui possis Dialecticen tam prorsus adimere. Siquidem recte censuerunt non infimi Philosophoru, qui tantum censuerunt Dialecticam ab Rhetorica differe, quantum pugnus distat à palma quod quæ Dialectice colligit astrictius, eadem omnia Rhetorice copiosius explicat: utque illa mucrone pungit, ita hæc ipsa mole penitus prosternit obruitque. Sed age, nihil sit Dialecticæ cum Rhetorica commune. Ergo quia non in scholis disputat, quia nos in puerorum corona rixatur, quia jam (quod tu quoq; postea facis) quæstiunculas istas valere finit, nunquam eum putas illas decidisse: sed existimas in disputando inferiorem esse Dialecticis omnib? At hic vide quam oppido abs te dissentia. Ego nec illiteratum quidem quempiam, mediocri ingenio præditum, longo tamen intervallo minoreq; quam sit Erasmicu: hunc, inquam, ego non omni Dialectico reor inferiorē in disputando fore, modò res de qua disceptatur, utriq; sit nota, quū quod arti deest, ingenii suppletat. Nam & ipsa Dialectices præcepta quid aliud, quam quædam ingenii fætura sunt, ratiocinationum videlicet formæ quædā, quas ratio ferè ad rerum disquisitionem utiles animadvertisit? Neque enim quenquam esse puto, qui dubitet, quin has ipsas quoque, si voler, quæstiunculas non in rixosis illis concertationibus, ubi rationem clamor vineat, unde consuebtes invicem consputique discedunt, à quibus moribus modestia ejus pudor que abhorret: sed aut calamo, aut gravi ac feria disputatione ita tractabit, ut non solum non omnibus inferior, sed supremis etiam aut par aut superior sit futurus: tantum abest ut Erasmus, cuius & ingenium & doctrinam mirantur omnes, unus futurus sit in disputando omnibus prorsus Dialecticis, hæc est, etiam pueris, inferior. Sed mitto ista omnia, nempe minoris momenti, ut in quibus literatum duntaxat estimatio ventiletur. At illud certè odiosius est, quod Hieronymi Hussite, Cresconique Grammatici, utriusque videlicet heretici, mentio abs te non satis temperanter injecta est: quippe quos quibusdam ita referre videris, tanquam conferte velis. Quid quod nonnullam acerbè tractas, tanquam nihil agas aliud, quam ut in eum primò Lovanienses Theologos, deinde quotquot ubique sunt omnes, postremò academias universas extimules, inque eam rem quibusdam illius verbis longissime à proposito detortis abuteris. Nam (ut à postremo incipiam) quum ille dixisset, non omnes Theologos damnare Moriam, sed eos solos has excitare tragedias, qui dolent bonas renasci literas, foreque ut nec

Hieronymianam editionem (quam tu Theologi placere scripteras) cōprobarent ii, qui Moriam damnaverant: ibi tu protinus arrepta lepida jocandi ansa, Nova (inquis) gloria si edas quod pauci probabunt. Quasi velò relinquantur pauci qui probent, si ex tanto dignissimorum Theologorum cœtu, unus aut alter morosissimi senes, nec ullo minus digni quam quod profitentur nomine, eximantur: & tu tamen, Dorpi, longius eundem tam festivum jocum persequeris. Ais enim: Age non probabunt Theologi (sic ille dixit scilicet!) qui quas o probabunt ergo? Iuris consulti? an Medicis? an Philosophi deniq; ut saltem falcam immittant aliena messi? Sed Grammaticis eam paras. Sedeant itaque Grammatici in solio, censores omnium disciplinarum, & novam nobis Theologiam parturiant, nascituram tandem aliquando cum ridiculo mure. Verum nec metus est, nonolint studiosi illorū se sceptris inclinare. Sceptra enim sunt ferule, quibus plago regnanti in antro: & Philautia, & Moria sultiores, arbitrantur se nosse omnes disciplinas, quod voculas intelligunt ipsas, & rationum structuram. Ergo non est opus Academiis: schola Zuollensis, aut Daventriana sufficerit. Et certè hac est sententia magni viri Hieronymi Hussita. Universitates tam prodeße Ecclesia Dei, quam Diabolum. Nec Grammaticos vel tantillum commovet, quod damnata fuerit ea sententia in concilio Constantinenſi: quippe in quo certum sit neminem fuisse non amusum, aut qui non ignoraverit Gracè. Injurius tibi, Dorpi, sim, si jocum sapienti interpellent tuum, in quo jam diti, mirum quam luavit te oblectasti. Sed si sat is jocatus es, audi nunc jam, Dorpi. Nemini obscurum esse potest tua ipsius verba legenti, te ad hanc Universitatem mentionem sine ulla prorsus occasione descendisse, totumque hunc locum tibi cōpiosè, ac perquam disertè sanè, sed extra controveriam tamen, esse declamatum, nec esse ullā responsione opus. Neque tamen ambigendum puto, quo in Universitates affectu Erasmus sit, in quibus & didicit & docuit, non ea modò quæcū Grammatica vocas, sed cùm alia multa, multo magis Christianis omnibus utilia, tum eas etiam ipsas, quas tu nunc tam magnificas, quam post haec parvifacetus es, quæstiunculas. Quis nescit quamdiu Parasit is ille, quantoque in pœno fuit, tum Patavii, cum Bononiæ præterea? ut nihil interim de Roma dicam, quam ego tamen vel principem Academiarum esse omnium duco. Jam Oxonia Cantabrigiaque tam charum habent Erasinum, quam habere debent eum, qui in utraq; diu cum ingente scholasticorum fruge, nec in modo sua laude versatus est: utraque eum ad se invitat, utraq; eum in suorum Theologorum numerum (quoniam eo honore alibi est insignitus) transplantare conatur. Sed tu quanti nostras universitates facis, haud scio, qui tantum Lovanio Patiensque tribuis, ut cæteris videaris mortalibus, præfertim ex Dialectica nihil omnino relinquere. Ais enim, nisi Lovanienses & Parisienses Theologi esent Dialectici, fieri videlicet, ut Dialectica totu exulet orbe, exulaveritque multis iam secuti. Ego in utraq; Academia fui abhinc seppennium non diu quidem, sed interim tamen dedi operam, quæ in utraq; traduntur, quique sit utrobique tradendi modus

modus, ut scireni. Et profectò, quanquam utrāq; suspicio, quantum tamen qui vel præiens audiendo, vel absens inquirendo cognoscere, nihil haec tenus unquam accepi causæ, quamobrem vel Dialecticam meos liberos, quibus optime consultum cupio, in alterutra eorum edoceri potius, quam Oxoniæ aut Cantabrigiæ velim. Non negabo tamen (neque enim libenter quanquam sua gloria fraudaverim) nostras permultum Jacobo Fabro Parisiensi debere, quem utinastauratorem veræ Dialecticæ, veræque Philolophiæ, præsertim Aristotelicæ, feliciora passim apud nos ingenia, sanioraque judicia corflectantur; ut per eum virum Lutetia gratiam nobis referre quodammodo accepti olim beneficij videatur, cum per eum apud nos disciplinas instarent, quas ipsi à nobis initio acceperunt, quod usque adeò in confesso est, ut id Gaguinus quoque, nec detractor Gallicæ laudis, nec buccinacor nostræ, in annales suos retulerit. Atque utinam & Lovanienses, & Parisienses quoque Scholastici omnes, Fabri Commentarios in Aristotelicam Dialecticen recipierent. Eset ea disciplina quæ fallor) & minus utrisque rixosa, & paulo repurgatior. Micor tamen cur Lovanienses ac Parisienses in Dialectices commemoratione conjunxeris, qui usque adeò inter se discordant, ut ne nomine quidem convenient, cum alteri Realium, alteri Nominalium nomen affectent. Quanquam si Aristotelem utrique recipiunt, si utriq; tradunt, si non alia de re quām de ejus mente tot inter se rixas excitant, jam cùm Parisienses aliter, aliter eum Lovanienses interpretantur, nec aliter modò, sed contrà quoque: quā scire possis utris potius accedendum centreas? Sin ad Dialecticen pertinent hujusmodi lites, sed nihil ad Aristotelem tamen, jam non Aristotelicam tantum Logicam (quod tuais) sed aliam præterea, aut alteri aut utriusque profitentur. Sin autem quæ in tanta controversia sunt, nec ad ipsam Dialecticam attineant (nec attinent certè, si ad eum non attinent, modò is Dialecticam perfectè tradiderit) jam hoc egregiè fuerit absurdum, ut discatur Dialectica, de rebus ad eam rem neutiquam spectantibus tot annos digladiari. Et profectò, Dorpi, proponendum adducor ut credam, magnam illam opinionum partem, de quibus tam diu tanta contentionem velut pro artis focusq; dimicatur, aut ad Logicam parum pertinere, aut ad eam perdescendam non admundum conferre. Nam ut in Grammatica sufficerit eas observationes didicisse, quibus possis & ipse Latinè loqui, & quæ ab aliis Latinè scripta sunt, intelligere, non autem anxiè innumeratas loquendi regulas aucupari, literasque inter ac syllabas confonenescere: itidem in Dialectica satis esse crediderim, distinctionum naturam, enuntiationum vires, tum ex his collectionum formulæ edoctum, Dialecticam protinus, velut instrumentum, ad cæteras disciplinas accommodare. Atque hoc nimis ipsum spectavit Aristoteles, cùm Dialecticam suam decem illis summis sive rerum sive nominum generibus, deinde enuntiationum tractatu, adjunctis postremo collectionum formulæ, & quæ necessariò demonstrant, & quæ suadent probabiliter, & quæ calli-

dè cavillatur, absolvit. Ad hæc tanquam adictum introitumque quandam Porphyrius, quinque ilias universa complectentes, seu res seu voces appellatæ malis, adjicit. Porrò ejusmodi quæstiones, quibus rudia adhuc, & aptioribus imbuenda detinentur potius quām promoventur ingenia, neuter eorum proposuit, Porphyrius etiam ex professo abstinuit. At nunc absurdâ quædam portenta ad certam bonarum artium nata perniciem, & luculentæ ab antiquis distinctæ commiscuerunt, & ad Veterum purissimas traditiones, suis adjectis sordibus infecerunt omnia. Nam in Grammatica, ut omittam Alexandrum, atque id genus alios, qui quanquam imperitiæ, tamen Grammaticam utcunque docuerunt; Albertus quidam Grammaticam se traditurum professus, Logicam nobis quandam, aut Metaphysicam, immò neutrā, sed mera somnia, mera delitia Grammaticæ loco substituit: & tamen hæ nugacissimæ nugæ in publicas Academias non tantum receptæ sunt, sed etiam plerisque tam impensè placuerunt, ut is propemodum solus aliquid in Grammatica valere censeatur, quisquis fuerit Albertistæ nomen assequuntus. Tantum autoritatis habet ad pervertenda bonorum quoque ingeniorum judicia, semel ab ineptis tradita Magistris, deinde tempore corroborata persuasio. Quo fit, ut minus mirer, ad eundem modum in Dialecticæ locum nugas plus quām Sophisticas irrepluisse, quæ cultoribus suis argutiarum nomine tam vehementer attrident, ut mihi nuper his de rebus obiter loquenti quidam Dialecticus (ut ferebatur doctissimus) asseruerit, Aristotelem (referam ipsius verbæ: nequeo enim aliter tam nitidum eloquentiæ florem assequi) nisi grosso modo scripsisse: Et nunc sunt (inquit) pueri in parvis Logicalibus suis tam substantialiter fundati. quod bene credo certè, quod si Aristoteles è sepulchro suo resurrexerit, & argueret cum eis, illi bene concluderent eum, non solum in Sophistica, sed etiam in Logica sua. Reliqui hominem oppidò quām invitus, nisi quod aliquanto (ut tuis res erat) occupatior fui, quām ut vacaret ludere. Cæterum liber ille parvorum Logicalium (quem ideo sic appellatum puto, quod parum habeat Logices) operæ pretium est videre, in suppositionibus, quas vocant, in ampliationibus, restrictionibus, appellationibus, & ubi non? quam ineptas, quam etiam fallas præceptiunculas habet, ut ex quibus adiunguntur inter has atque ejusmodi enuntiations distinguere: Leo animali est fortior, & Leo est fortior animali, quasi non idem significant: & profectò tam sunt ineptæ, ut utraque propemodum nihil significet, quanquam si quicquam, haud dubiè idem: tantundemque inter se differunt, vinum bis bibi, & bis vinum bibi, hoc est, secundum hos Logistas multum, sed re vera nihil. Jam si quis non assūs modò, sed adustas quoque carnes ederit, eum volunt verum dicere, si sic enuntiet, ego crudas carnes comedì: non autem si sic, ego comedì crudas carnes. Tum si quis, parte relicta mibi, partem sibi pecunia meæ sustulerit, mentiar videlicet si dixerim, spoliavit me denariis. Sed ne desint mihi verba quibus apud Judicem querar, licebit dicere; Denariis spoliavit me, & in aliquo casu (ut ajunt) possibili polito, hæc erit ve-

13. *Papum verberavi*, quum eodem manente casu  
hæc erit falsa, *verberavi Papam*. Nempe si is qui  
nunc Papa sit, puer olim à me vapulaverit. Digni  
hercle qui talia jam seos docent, ut quoties pue-  
ros docent, tories ipsi vapulent. Quid quod hanc  
fallam ajunt, *omnis homo pater est*, qui *habet filium*,  
nisi omnes protus homines jam habeant filios:  
quoniam videlicet huic æquipollat, *omnis homo*  
*est pater*, *omnis homo habet filium*. At hanc interim  
veram affirmant, *pater erit Sortes quando Sortes non*  
*erit pater*: & hanc, *pater manebit Joannes, quando*  
*Joannes non manet pater*, quod quis sic audire potest,  
ut sibi non interim credat ænigma proponi?  
At hæc verbo, *sunt* & *possim* regnant planè, &  
quoniam (ut ajunt) ampliativa sunt, pomeria sua  
ultra ipsos naturæ fines longe lateque proferunt.  
Nam hanc veram astiunt, *omne quod erit, est*: sed  
eam tamen callidè interpretantur. Ajunt enim,  
*omne quod erit est significat, omne quod est quod erit*  
*est*: atque hoc pacto carent ne Antichristus, qui  
olim erit, jam sit. Nam quanquam *omne, quod erit,*  
*est*, & quanquam *Antichristus erit*, tamen non se-  
quitur, *Antichristus est*, propterea scilicet quod *An-*  
*tichristus non est ens quod erit*. Quod nisi hanc plus  
quam subtilem propositionis hujus expositionem  
circumspexissent acuti in dialecticis argutiis The-  
ologii, tempublicam Christianam haud dubiè  
jam olim Antichristus invalidasset, non sine magno  
cæterorum omnium periculo. Nam ipsis non vi-  
deo quid possit immixtare discriminis, quippe  
quam fateantur has etiam veras esse: *Antichristus*  
*est amabilis*, & *Antichristus est amativus*: quanquam  
profectò nec Antichristus, nec supremus ipse ju-  
dicii dies, rerum naturam magis poterit, quam  
hæc Dialectica subverttere, quæ docet, has enun-  
tiationes esse veras: *Vivum fuit mortuum, futurum*  
*fuit præteritum*: quibus nimis sit, ut mortuo-  
rum resurrectio, non (ut ipsi loquuntur) in fieri,  
sed in facto esse videatur. Jam ista non minus mi-  
randæ, sed sunt amoenæ quoque, ac plaudiviles,  
quam sint veræ scilicet, *virgo fuit meretrix*, & *mer-*  
*etrix erit virgo*, & *meretrix possibiliter est virgo*.  
Non facile dictu est, Dialecticis tam benignis  
utram magis, virgines ne an meretrices debeat, de-  
bent certè utramque plurimum. Poëta ergo nu-  
gas, Dialectici serua tractant. Poëta singunt ac  
mentiuntur, Dialectici nunquam nisi vera lo-  
quuntur, ne tum quidem quum hanc esse verissi-  
mam affirmant. *Homo mortuus potest celebrare mis-*  
*sum*. Quod quanquam non audeo assertentibus eis,  
ac propemodum etiam jurantibus, non credere  
(neque enim tot doctoribus tam irrefragabilibus  
fas est refragari) hactenus tamen (quantum me-  
mini) neminem unquam reperi, qui se narraret  
mortuo celebranti ministrasse. Hancine Dialecti-  
cam docet Aristoteles? hanc Hieronymus lau-  
dat? hanc probat Augustinus? quam (ut ait Per-  
sius) non sani esse hominis, non sanus juret Ore-  
stes? Mitor herculè, homines acutuli quoniam pa-  
cto senserunt illas enuntiationes sic intelligendas  
esse, quomodo nemo in toto orbe praeter eos in-  
telligit. Nec sunt artis illa vocabula, ut sint eis  
quali in peculio, & ab eis, si quis volerit uti, sume-  
da mutuò. Communis nimis sermo est, nisi  
quod quædam deterius reddunt, quam à cerdo-

nibus eadem acceperunt. A vulgo sumptiferunt,  
vulgaribus abutuntur. At regulæ, quam vocant,  
Logices, in eos sensus tales propositiones docet  
interpretandas. Quæ (malum) regula, in angulo  
quoniā ab his composita, qui vix loqui sciant,  
universo terrarum orbi novas loquendi leges im-  
ponet? Grammatica rectè loqui docet: nec ea  
tamen insuetas loquendi regulas committuntur,  
sed quæ plurimum in loquendo videt observari,  
eorum loquendi rudes, ne contrarium loquantur,  
admonet. Nec aliter quicquam Dialecticæ  
facit, que sana est. Nempe hic syllogismus: *Omne*  
*animal currit, omnis homo est animal, ergo omnis ho-*  
*mo currit*: non ideo syllogismus est, quia ritè se-  
cundum Dialecticæ normam colligitur ac for-  
matur in Barbarâ, sed quia postremam oratio-  
nem ad præmissa, consequi docet ratio, quæ re-  
gulam ob id ipsum talem fecit, alioquin aliter eam  
factura, quaquaversus ab ipsa rerum natura fle-  
tteretur. Ipsi quoque eodem modo hanc proposi-  
tionem: *Meretrix erit virgo*, ne dicant sic inter-  
pretandam: *Meretrix quæ est, vel quæ erit*, quia sic ju-  
bet regula: sed rationem afferant ab ipsa re, qua-  
re fieri debeat talis regula. Nam si recta est in-  
terpretatio, necesse est eam aut ab ipsa re quæ e-  
nuntiatur, aut ex proprietate sermonis emergere.  
Ergo cum iam multis eorum, qui Latinè jam  
olim locuti sunt, neque ingenium defuerit, neque  
eruditio, nec sermonis proprii fuerit minor quam  
istis est (uti credo) peritia: quomodo evenit, ut ex  
illis nemo potuerit intelligere hanc veram esse,  
*meretrix erit virgo*: aut inter has distingueret, num-  
mum non habeo, & non habeo nummum: Quanquam  
nemo negaverit, transpositiones vocabulorum  
diversum læpe sensum gignere. Neque enim idem  
est, *bibas priusquam edas*, & *edas priusquam bibas*.  
Sed hoc affermo, quando ita sensus variatur, o-  
mnis in idem mortales assentire; trahente vide-  
licet ratione, non Dialecticorum jubente potius  
quam persuadente regula: quorum officium est,  
ut more nostro loquentes quovis nos veris ratio-  
nibus impellant: Sophistarum vero, ut insidiosi  
eo præstigiis adducant quo nos pervenisse mire-  
mur.

Nam hoc hebetissimum est acumen, & stul-  
tissima solertia, se disputando pronuntiare victo-  
res, & triumphum sibi decernere, quia nos nesci-  
mus in quem sensum ipsi clanculum pæcti sunt,  
sermones nostros contra communem omnium  
sensum accipere. At hæc cum nec Sophistica dici  
mereantur, tamen non pro Sophisticis nugis di-  
cuntur, sed inter Dialecticæ abstrusissimos the-  
sauros numerantur: nec à pueris tanquam dedi-  
scenda discuntur, sed à senibus quoque in ipsa  
Theologia penetralia suscipiuntur. His quidam  
Theologicas perplexitates infasciunt, ex his pro-  
positiones tam ridiculas effingunt, ut ridenda  
materia nusquam otiri possit uberior, nisi quod  
multò malum eos qui sic ineptiunt, ad sanitatem  
converti, quam ex insaniorum delitiis ipse capere  
voluptatē. Quanquam quid hæc dico tibi, Dor-  
pi, cui non dubito has nœnias non minus displi-  
cete, quam mihi, si posset mutare; & fortasse  
poteris, adjutus à tui similibus, modò ne  
statuas tecum, illorum obsequi inepitis,

quos multo magis par est tuo parere judicio. Sed ad epistolam tuam revertor, ut ostendam nullam ex Erasmi verbis ansam tibi datam, qua eum ( id quod facis ) dices, Lovanienses Theologos, multoque adhuc minus, ceteros omnes, imperitiae damnare, siquidem cum ille dixisset, se valere sinere, non omnes quidem Theologos, ut qui prius in eadem epistola multos dixit esse praestantissimos, sed eos tantum qui tales sunt, ut certe sunt qui praeter sophisticas nugas nihil didicerunt. Hic tu statim per Theologos istos puto, inquis, Lovanienses designari. Quid ita, Dorpi? quasi verò difficile sit, hujus farinæ, imò istius fufuris, aliquos ubique reperire? Bellè projectò sensis de Lovaniensibus, si eos, & solos, & omnes putas ejusmodi descriptione cognobiles; quod ille neque seneat neque dicit? Paulo tamen potest sic dictum accipis, tanquam non in Lovanienses modò, sed in omnes quotunque sunt ubique gentium Theologi diceretur: quod ille nec in alios omnes, nec in Lovanienses ipsos est loquutus. Tu tamen perinde ac sine que illum neque temet audias, videris in hac verba non descendere, sed velut abruptus impetu animi effervescentis erumpere: Nonne videmus abjectissimos opifices, imò vilissima mancipia, clarissimis esse pradita ingeniorum? Quid ergo sibi voluntate in Theologos omnes detorta vocabula? pinguis, rudes, pestilentes, & quin nihil habeant mentis. Nullius est artus probra dicere in quo suis, sed neque honestum est, aut boni viri officium, si severam Salvatoris nostri sententiam perpendamus: Qui dixerit fratri suo racham, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehenna ignis. Ubi Hieronymus: Si de otioso sermone reddituri sumus rationem, quanto magis de contumelia? qui in Deum credenti dicit, fatue, impius est in religionem. Sunt ista quidem verba tua, Dorpi, non gravitatis modò, sed sanctitatis quoque plena, vereque severo Theologo digna; quæ utinam in loco dicerentur suo. Sunt enim meliora quam ut perire debeant. Quod si desuper è suggestu librarentur in populum, nunquam ita errare possent, ut non in aliquem in quo harere viderentur, inciderent. At nunc me miseret, in unum Erasmus quod declamas omnia: in quem unum, eorum quæ declamas omnium, nihil quicquam competit. Nam quod affers ex Evangelio: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehenna: nihil ad eum spectat, qui nominato nemine velit afferere esse unum alterumve in magno hominum numero fatuum: alioquin decem gehennæ non sufficerint ei qui dixit; Stultorum infinitus est numerus. Porro quod queris; Quid sibi voluntate in Theologos omnes detorta vocabula? hoc mihi de te, Dorpi, querendum est. Nam quæ ille dixit in paucos, ea tu solus in omnes detorsisti: quod te instituisse facere vehementer admiror. Si quidem ut nullius est artis ( sicuti tu dicas ) probrova in quosvis dicere, ita nullius est artis ( quod tu facis ) benedicta male narrando cor-

rumpere: quippe quæ non male scripta sunt in merentes, ea tu conaris quo male scripta videantur, ad immerentes inflectere: quod si quavis re quam facile factu sit, ipse facile vides. Nam projectò si quis ea quæ tu scripsisti, ad hunc excusat modum, nil abs te tam circumspectè scriptum est ( quanquam omnia circumscriptissime ) ut non alicunde possit obnoxium esse calumniae: veluti illa ipsa epistola, quæ abs te, ut novissimè, ita accuratissimè scripta in editionem Q. Olibeticorum dignissimi viri Adriani Florentini de Trajecto: in qua cum & opus magnificè, & authorem copiosè laudaveris, utrumque ( ut ego certè puto ) tam ex animo, quam verè: tamen si quis incidet in te pres paulo malignior, videri possit altera manu panem, altera lapidem porrexisse. Primo, quod ut ejus operis editionem curares, nullo tuo in eum librum studio, nec nisi aliorum precibus atque adeò opporationibus adduci potuisti; quasi in rem quam ipse non magnificeris, aliorum affectibus operam tuam indulseris; deinde quod te scribis feria studia tua sepoluisse tantisper, dum Quodlibetica corrigeres illa, perinde ac si illa seris in studiis non essent numeranda: cum tamen magister Johannes Athenensis, vir tantæ & doctrinæ pariter & judicii, non gravabatur operam in eam rem suam vel intempesta nocte frequenter ( ut ait ) accommodate, tanquam, velut obstetricæ excitari de nocte solent, quum mulieres parturunt, ita hoc opus emendari non potuerit interdiu. Quid quod ejusdem Hadriani dum æquitatem laudas, æquitatem ei Lesbiani videris attribuere? ad Lesbiam himitum regulam alludens, quam plumbam tuisse meminit Aristoteles, non æquam semper, sed ad rerum inæqualitates flexibilem. Nec me, mi Dorpi, putas hæc èd dicere, quod te putem tale quicquam lensisse, aut sic denique vel in viro tanto, vel tali opere famæ commendando lusisse. Nam & virum multis modis audiò multum eximiae laudis assequutum, & opus ipsum censi o in suo certè genere perfectum. Sed hæc omnia èd dico, ut ostendam, nihil tam inunitum esse, in quo locum sibi non possit invenire calumnia, quando tuis etiam scriptis, tam accurate, tam circumspectè limatis, tamen impertrandum est, ut cum favore legantur. Quanquam Erasmus, ne quisquam prorsus ultimæ occasionem possit arripere, qua dicat eum in omnes ea quæ tu objicis ei, dixisse Theologos, vel eo cavisse videretur quod ait: Quoniam res ipsa exerior, quam nihil habeant mentis, qui praeter sophisticas nugas nihil didicerunt. Non dicit: Quam nihil habent mentis omnes Theologi: sed neque: Qui sophisticas nugas didicrunt: sed, Qui nihil prætererat. Quamobrem cùm sic scribis: Porro quod hypothesin facias, Erasme, nosros Theologos soli sophisticatum meditationibus esse occupatos, tota erras via: hic tu, mi Dorpi, tota etras via, cum hypothesin facis: Erasmus talem hypothesin fecisse de omnibus Theologis vestris, quam ille de uno

tantum facit, ut altero; neque quicquam dicit in quo sit necesse omnes Theologos vestros includi. Quare nec id quidem ad rem facit, quod protinus adjectisti: *Dic age, quidnam eos, quamvis sane Poëtos ignaros, arcebit ab Evangelio. Paulini epistolis, totaque Biblia evolvenda?* Nihil sanè, Dorpi, modò ipsi non arcerent se: quod aliqui faciunt, qui vitam universam quæstiunculis consecrantes, Biblam certè velut nihil ad rem pertineat, nunquam dignantur inspicere. Atque ille aliquos hujusmodi putat esse, non omnes: ut intelligas, id quoque te sine causa illa subnectere: *Proferam ego multos hinc qui rejectis libris sola memoria vi cum quovis de textu Scriptura certabunt. Cave credas Endymionis somnium dormire Theologos, quo tempore vos literis invigilatis: aut ingenio carere, quicunque non poetantur, aut rhetorizant.* Nemo, Dorpi, negat esse qui rejectis libris de Scripturæ textu certare possint. Imò plus satis ubique reperias eorum, qui libris non rejectis modò, sed etiam nunquam inspectis, cum quovis in Scripturis exercitatisimo sint parati de quovis Scripturæ textu, non memoriaz, sed Moria vi certare pertinacissimè. Neque negabo tamen, & apud vos & ubique esse, qui è Scripturis multa memoriter teneant: ex quibus eos qui non in hoc solum collocarunt operam memoriaz ut mandarent, quod illiterati etiam monachi fratres que faciunt, sed vel multo magis ut intelligent; qui tantam sermonis facultatem paraverunt sibi, ut per noscendis Hieronymi, Augustini, Ambrosii, cæterorumque id genus lucubrationibus pares esse possint; eos, inquam, ego in Theologorum albo meritissimo jure collocandos puto, etiamsi versus nunquam fecerint, tam herclè quam si disputatiunculis istis non totos centum annos insumpserint, ut ne dicam, si in universum neglexerint. Sed tu quoque, si vera vis fateri, non inficias ibis, ex Theologorum, qui vocantur, numero esse rursus aliquos, qui Scripturæ liberosita rejiciant, ut rejectos nunquam resumant: qui ita lese totos Theologiaz huic disputatri ci devoveant, ut non solum non poëtentur, ac rhetorizent, verum etiam sanctissimos patres, antiquissimos quoque Scripturarum Interpretes propemodum floccisciant, certè (quod satis constat) eorum in sacras literas enarrationes negligant, unaque ipsarum sacrarum literarum studium, postremò quæcunque sunt optima, piissima, maximè Christiana, verisque Theologis dignissima: ea inquam omnia, quòd sint (ut ipsi vocant) positiva, contemnant, neque eorum quicquam dignum patent, ubi ipsi nervos intendant suos, homines ad quæstiunculas nati, res tanto videbilec intervallo majores: ex quibus ipsis tamen maximè quæstiones consecrantur ejusmodi, quæ vel ad fidei pietatem, vel ad morum cultum minimè omnia pertineant. Ego itaque ut prius illud Theologorum genus veneror ac suspicio, ita hoc posterius herclè non admundum magnipendo: adversus quos tamen non

est confilium Poësi aut Rhetoricam defendere, quippe qui à Poësi Rhetoricaque tam longè propemodum absim, quām illi ipsi. Absunt autem ipsitam longè ferè, quām ipsa Theologia: à qua tam longe absunt, ut à nullare absint, præterquam à communī hominum sensu, longius: vel ideo maximè, quòd ad insignem rerum omnium inscitiam accesit omnia genere scientiaz perversa persuasio, qua sibi adeò blandiuntur, ut omnium hominum scripta, ac ipsas etiam sacras literas, ut quicquam audierint quapiam occasione prolatum, qui locum nunquam viderint, nunquam librum inspexerint, quid ea verba præcedat, quid sequatur, nesciunt, imò id ipsum quod citatur, sine an non sit ibi, unde citatur, ignorant: se tamen solos arbitrantur idoneos, qui protinus in quemcumque libeat sensum interpretentur. Ex quo genere cùm in multis inciderim, unam saltem ex quo cæterorum indoles agnosci posse, non pigebit herclè velut speciminis loco referre. Cœnavi olim apud Italum quendam mercatorem, non minus doctum, quām divitem (erat autem dicitissimus.) Forte aderat in cœna religiosus quidam Theologus, disputator egregius, qui recens è continente venerat, ut quæstiones aliquot, quas præmeditatus advexerat, Londini disputaret, experturus videlicet in ea disceptandi palestra, quid Angli præstare possent, simul nomen suum jam apud suos celebre, apud nostros quoque propagaturus. Is quas conclusiones (ut vocant) affixerit, tum quam bellè disputatio processerit homini, quanquam longum esset, non gravarer profectò narrare, si tam ad hanc rem pertinens foret, quām festivum fuit. Cæterum in cœna nihil à quoquam dici tam bene munatum aut libratum, tam circumspectè potuit, quod non illè vix prolatum aliquo statim syllagismo convelieret, quantumvis res de qua sermo erat nihil ad Theologiam pertinens, ad Philosophiam tantudem, quantumvis deniq; ab universa ejus professione esset alienum: nisi quòd initio cœna fecerat, ne alienum esse quicquam ab ejus professione posset (professus est enim, sese in utramque partem de te quacunque disputaturum.) Paulatim cœpit mercator ad quæstiones magis Theologicas descendere. De usura proponebat, de decimis quædam, de confessionibus, quæ in aliena parochia fratribus essent factæ. In omnibus nihil erat Theologo pensi, utram sustineret partem: sed utramcunque aliquis asseruisset, illam oppugnabat: ac vicissim quæcunque alius negaverat, hanc ille protinus astruebat. Tandem per jocum mercator sermonem de concubinis injecit, cœpitque defendere, minus mali unam quampliā domi habere, quām foris per multas discurrere. Ibi rufus Theologus instare, oppugnare fecociter, non quòd usque adeò concubinam videretur odisse, sed ne cum quoquam ei quicquam conveniret, sive quòd hominem fortassis varietas oblectabat. Cæterum asserebat esse conclusionē famosam cuiusdā limpidissimi doctoris, qui fecit illum singularissimum librū qui intitulatur

initiatur. Directiorum concubiniorum plus eum peccare qui unam domi concubinam, quam qui decem fortis meretrices haberet: idque cum ob malum exemplum, tum ob occasionem sepius peccandi cum ea quae domi sit. Respondit mercator, docte me hercle, & acutè, quæ & longam recitare fuerit, & apud te supervacaneum. At cum olfecisset, Theologam non perinde in scripturis atque in quæstiunculis illis exercitatum, cœpit hominem ludere, argumentariq; interdum per locos ab autoritate. Effingebat enim extempore sententiolas quasdam breves, suæ parti quæ viderentur astipulari: cumq; ipse omnes nusquam antè auditas, pro libito fuisse commentus, hanc tamen ex epistola quapiam D. Pauli, illam ex Petri, rursus aliam ex medio citabat Evangelio: idque tam diligenter, ut ne capitulum unquam dum citabat, omittaret, nisi quod si quis liber in sedecim capita distinguebatur, ille data opera citabat ex vicelimo. Quid ille bonus Theologus interim ad cætera certè strenuè, & tanquam erinaceus spinis se se fuis obvolvit. At personatas illas authoritates vix hercle huc atque illuc vitabundus evasit; sed evasit tamen; tantum valet ars exercitatioque differendi. Nam cùm quid in sacris continebatur literis, omnino nesciret: neque dubitaret, quin quod inde citaretur, ibi esset, non deferre verò cedereque authoritati Scripturæ nefas duceret, at loco depelli, vincique turpissimum: tantis circumseptus angustiis, vide, obsecro, qua astutia tandem Proteus ille è mediis retibus elaplus est. Statim ut aliqua sententia, quæ nusquam erat, tanquam è sacris literis adversus eum citabatur: *Bene citas, inquit, Domine, sed illum textum ego sic intelligo:* & jam interpretabatur non sine aliqua distinctione bimembri, quorum alterum pro adversario stare diceret, altero ipse effugeret. Quod si quando mercator instabat molestius contendere, ejus textus non illum verum esse sensum quem Theologus affirmabat, jurabat homo tam sanctè, ut quivis possit credere, Nicolaum de Lyra eumtextum sic interpretari. Profectò, mi Dorpi, in illa una ccena plus quam viginti poculenti textus, totidemque poculenta glossemata, inter pocula, atque ex poculis, tanquam è serpentis dentibus terrigenæ illi fratres, & nati sunt & perierunt. Quid tu ais ergo, Dorpi? Tu istiusmodi homines sacrarum inanes literarum, quæstiionibus illis Theologicis quantumcunque distentos, Theologorum censes vocabulo insigniendos? Non opinor, quanquam hercle (ut verè dicam) animi ambiguum tui hæc tua me verba faciunt: *Non persuadeas, Erasme, tibi eum demum esse Theologum, qui Biblia seriem ad literam intelligat, nec eum item, qui morales sensus æquè atque alter Origenes, novit eruere. Multa restant descendens, ut intellectu difficillora, ita & utiliora gregi, pro quo mortuus est Christus. Alioqui qui sciemus ut sacramenta sint administranda, quanam sine eorum formâ, quando absolvendus peccator, quando si rejetendus, quid præceptum sit restitus, quid*

*servari possit: & innumera hujusmodi? Multum, nisi erro, longe q; minore opera bona m Biblia partem ediscere prius, quam vel unius perplexitatis nodum discat dissolvere, cuiusmodi plurimi quotidie occurunt, ubi vel in quænor verbis diutissime hærendum est: nisi tu has etiam voces Theologorum nanias, quacunque ad Sacra merita pertineant, sine quibus tamen sancta Dei Ecclesia Catholica profiteretur salutem hominis periclitari. Crede mihi, Dorpi, nisi tute hæc scriberes, nunquam adduci possem hæc te tentire, ut crederem: scil. istæ neotericorum quæstiunculæ (nam de iis agitur) non intelle&tantum difficiliores, sed gregi quoque pro quo mortuus est Christus, utiliores sunt quam exactissima cognitio sacrarum literarum omnium. Hui ex quantulo euile quam ingentem Elephantem facis? Nam eam rem primum tam difficilem putas, ut Erasmus minore opera bonam Biblia partem posset ediscere, quam unius perplexitatis nodum discat dissolvere, cuiusmodi plurimos quotidie in scirpo querunt: ubi tam diu in tenaci, ne dicam sordido, quatuor verborum luto hærendum est, dum posses amoenissimum ac saluberrimum totius Bibliae pratum à capite penè ad calcem sensim perambalare. Hactenus ergo periculum erat, ne quæstiunculas istas non didicisset: nunc ut video majus quippam timendum est, ne tam longè supra captum ejus sint, ut apprehendere ne sufficiat quidem. Quid ille possit, omitto querere: verum hoc scio, quosdam novisse me, ad cætera planè stipes, ingenio certè pistillo quovis obtusiores, qui in hujusmodi tamen argutiis non modò brevi promoverint, sed fodales suos quoque multo melioris ingenii, nec minoris industrie, equis (ut ajunt) albis in disputando præcesserint: ita quovis importunè prorumpit audax & invercunda stultitia, quum ingeniam animi indolem, & sanum plerumque judicium, nugandi remoratur pudor. Sed est profectò, Dorpi, quod merito gaudere debes, nectuis viribus acceptum, sed bonorum omnium largitori Deo referre: cuius eximia in te benignitate profluxit hæc tam rara felicitas, ut in sacris literis omnia tibi tam facilia videantur. Neque enim in hoc libro, quem signacula septem clauerunt, cuncta reperires aperta, nisi ille tibi agnus librum resignasset, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sed hic ipse liber, Dorpi, qui tam facilis tibi videtur, Hieronymo certè visus est difficillimus: Augustinus putavit impenetrabilem: neque quisquam est antiquorum omnium, qui se facteri est ausus intelligere, ut cuius intellectum putant altissimo Dei consilio vel ob id ipsum profundius abstrusum esse, ut curiosos oculos provocaret, & semotis ac labore arwendis segnia excitaret ingenia, quæ alioquin opibus obvios expositosque thesauros ipsa securitate torpescerent. Jam (ut omitram interim) quam non sit vulgaris studitionis opus, quam non cujuslibet ingenii, quæ à moribus interdum primo aspectu abhor-*

abhorreant, ea tamen commodè ad mores ac tam feliciter appellere, ut non aliunde èò træta, sed ad ipsum nata videantur. Quam rem nonnulli nunc tam inepit moliuntur, ut cuna hactenus sint progressi, ut rem ab ipsis magis loco detraxerint, quam ad suum perduxerint, quom neque in re consilium sit, neque in verbis Venus: fit nimis ut tota illa moralizatio (quam vocant) sine villa gratia spirituque frigescat. Sed hæc (ut dixi) omittam. At certè ipsum literalem sensu tantum continere difficultatis puto, quantum nescio, an quisquam omnium comprehendere possit. Neque enim cuiquam sentio literalem horum verborum sensum intellectum esse, *Dixit Dominus Dominomeo, sed è dextris meis: nisi ei, qui ea Prophetam de ipso Christo vaticinatum intelligat, quod, exceptis Prophetis, nec Judeorum quisquam, quanquam in hos libros universam operam suam collocabant, intellexit, priusquam Christus eis hunc ejus literæ sensum aperuit: qui tametsi Apostolis & discipulis suis interpretatus est Scripturas (neque enim, quod sciam, quæstiunculas istas cum eis disputavit unquam) non ausim tamen affirmare, universæ Scripturæ sensus eis ipsum aut præsentem tradidisse, aut per Spiritum sanctum postquam ascendit infudisse.* Nam ut multa sunt ibi quæ de Christo Prophetæ cecinerant, quorum alios omnes subterfugit intellectus, quoisque ea omnia ipsius vita, passio, resurrectioque declaraverunt: ita mortalium impares esse vires putto ad indagandum, utrum adhuc in eisdem lateant aut de finali judicio, aut aliis de rebus nobis incogitabilibus, neque ulli hominum aut hactenus cognita, aut ante cognoscenda mysteria, quam eventus eadern temporibus ac momentis soli prævisi inscrutabili Dei providentiaz patefecerit. Sed esto, Dorpi, si Scriptura facilis, difficilesque quæstiones: nihil impedit tamen, quin illius cognitionis harum possit esse disciplina fructuosior. Quanquam enim saltare, atque in gyrum se colligere (quod saltatriculæ quidem ac circulatores faciunt) difficilius est, quam ambulare, & dentibus panem facilius est quam testacea fragmenta conterere: neminem tamen esse puto, qui rectos illos vulgaresque naturæ usus velit hujusmodi inanibus ostentis permutare. Quamobrem utra res sit difficilior, non admodum magnificatio: at quod utiliores etiam, quam sacrarum cognitionem literarum, quæstiunculas istas esse vis gregi, pro quo mortuus est Christus, ferre profectò non possum, quasi cognoscendas assereres, haud refragarer: si veterum lucubrationibus ex quæsires, non tolerarem: nunc vero cùm ancillas istas coquinarias ipsis Bibliæ sacro-sanctæ, literarum orationum reginæ, non confers modò, sed præfers etiam, dabis mihi, Dorpi, veniam, continere me herclè non possum, quin illo Terentiano procul illas omnes abigam; *Abite hinc in malam rem cum istac magnificenta fugitiva: adeò putatis vos aut vestra facta ignorarier?* Neque profectò satis admi-

rari queo cùm ea verba lego, quibus eas ita magnificè attolis, tanquam uti (apud Poetas). in Atlantis humeros ecclum, ita in perplexas hujuscemodi quæstiunculas, hoc est arundinem, universa prorsus inclinata incumbat Ecclesia, alioqui videlicet periclitatura, ne tota semel collaboreretur in cineres. Ais enim: *Alioqui qui sciens, quomodo sint Sacra menta administranda, quenam sint eorum forma, quando absolvendus peccator, quando rejiciendus: quid præceptum si restitui, quid servari possit?* Itane putas Dorpi, ista quæ tu nusquam alibi quam apud Neotericos quæstionistas invenire vis, antiquos omnes sanctissimos patres, nec minus etiam doctos, ignorasse omnia? Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, ad Sacramentorum formas cœcutiebant? Ergo tota Ecclesia plus quam mille annos (nam plus quam mille anni à passione Christi numerantur ad Petri Lombardi tempora, è cujus sententiis, velut ex equo Trojano, universum istud quæstionum agmen erupit) tot annos ergo, immo tot secula, universa Christi Ecclesia aut sacramentis caruit, aut ista non habuit; quando recipiendus peccator, quando rejiciendus, tam diu fuit incognitus? & item quid præceptum esset restitui, nesciebant? Nam, quid servari posset, concesserim apud Veteres non fuisse tam acutè quam apud istos disputatum. Sed ut Zachæus, veritus ne male parta parcè redderet, quadruplum se redditum professus est: Ita veteres illi patres, ut vel plus sat quisque restitueret, hortabatur. Non erant illi, fateor, hac in re, quam isti sunt, tam in definiendo ac distinguendo curiosi. Sed ego tamen illorum (ut Terentius ait) æmulari malo negligientiam potius, quam istorum obscuram diligentiam: apud quos anxiæ res disputatur, & queritur, non tam quid restitui debeat, quam quid servari possit: non quam procul à peccato sit abscedendum, sed quam propè ad peccatum sine peccato posit accedi. Jam qui consilium convasatori dat, nimis tanquam alienæ pecuniae frugi dispensator, observat ut in reddendo citra sublimitat potius vel mille passus, quam ultra latum (ut ajunt) unguem promoveat. Ego certè, mi Dorpi, nec te (ut puto) refragante contenderim, quæcunque sunt ad salutem necessaria, id est, sine quibus salvi esse non possumus, ea primum ab ipsis sacris literis, deinde præcis eorum interpretibus, ad hæc communi ab antiquis patribus quasi per manus tradita consuetudine, postremò sacræ Ecclesiæ sanctionibus, abundè nobis tradita. Quod si quid suprà quam in his est, homines isti acuti curiosius addiderunt, ut multa concedam commoda esse atque utilia: ita planè ejus esse generis puto omnia, ut sine eis vivi possit. At fortasse dices, non omnia apud Veteres tam inventu prompta, tamque in numerato esse, quam apud istos recentiores, qui omnia cognata, quasi similia, in capita quædam, veluti in suam quodque tribum, descripserunt. In hac re, Dorpi, fortasse accedo tibi, fateorque non nihil esse commodi,

di, velut in domestica supellecstile, sic in re literaria quoque ita seorsum habere singula quæque distincta, ut ad quocunque velis, illico manum possis absque errore porrigerere. Et istud quidem, ut dixi, commodum: verum hoc tanto commodo quidam tam utuntur incommodè, ut propemodum præstissee videatur, hoc ipso etiam commodo caruisse. Neque aliud quicquam magis in causa fuisse puto, quare vetustissimus quisque sacrarum literarum interpres à tam multis tam diu neglegit habeatur, quam quod infelicium ingeniorum corrupta iudicia primùm sibi, deinde aliis quoque persuasere, nihil usquam esse mellis, quod non in illos summularum alveos congregatum sit. Ideoque fit ut illis contenti solis, cætera omnia per incuriam contemnant. In ejsus animi quandam etiam ipse iam olim in quadam bibliopolæ taberna indici. Erat enim senex, & qui alterum (ut ajunt) pedem habebat in sepulchro, & certè nou multo post utrumque: jam Doctoratus (quem vocant) honore plus quam annos triginta fuerat insignitus. Dico fortè apud eum, beatum Augustinum aliquando putasse, dæmonas omnes sub arias esse corporeas. Ibi ille statim supercilium contrahere, & temeritatem meam rugosa fronte compescere. Tum ego, Non dico (inquam) hoc ipse, pater: nec Augustinum in eare defendo: homo erat, errare potuit: credo ei quantum cui plarima, sed nemini uni omnia. Iam verò cœpit homo exandescere, velob id præcipue, quod tanto patri calumniam tantam intenderem. Num putas me (inquit) non legisse Augustinum? Imò (inquit) priusquam tu nascereris. Me jam suis sœvis dictis protelasset, nisi commodè fuisset paratus elenchus. Nam, ut erat in taberna, sumo in manus libellum Augustini, de divinatione dæmonum, verbo ad locum, atque ostendo, ubi locum semel atque iterum legit, actertia demum lectio mea djuvante cœpisset intelligere, tandem admirabundus: Certè (inquit) valde miror quod Augustinus dicit sic in isto libro: quia certè non dicit sic in Magistro sententiarum, qui est liber magis magistralis quam iste. Qui sunt ex hac farragine, qui neque Veterum quenquam, neque Scripturarum quicquam legunt, nisi in sententiis, & earum Commentariis: hi perinde mihi videntur facere, ac si quis authoribus omnibus qui Latinè scriperunt omisis, constructionum præceptis ab Alexandro petitis, reliquum ex Perotti Cornucopia, & Calepino conentur ediscere; quod persussum habeat, in his omnia Latinæ linguæ vocabula lese reperturum: & profectò reperiet plurima, eademque electissima: nempe ut apud recentiores Theologos, priorum dicta authoritatis loco leguntur inserta, ita hic quoque veteres Poëtæ atque Oratores, aliquot etiam qui nunc nec extant quidem. Sed neque hæc unquam faciunt Latinum, nec illa, mi Dorpi, Theologum, si sola sint, etiam si decem millibus spinosissimarum quæstio-

num fuerit instructus, quibus miror cum sit talis, quæ in re possit Ecclesiæ usui esse; disputando fortasse adversus hæreticos: nam hoc nomine præcipue sese solent venditare? at hi aut docti sunt, aut indocti. Si indocti (ut est multo maxima pars) neque acumina ista, quibus solis valet, neque verba tam insueta, quibus iste solis assuevit, intelliget. Necesse est ergo talem disputationem tantum fructus consequi, quantum, si quis Turcam quempiam patriæ duntaxat linguæ peritum, composita oratione, sermone Gallico (nam eum solum elegantem Galli putant) exhortetur ad fidem. Sin docti sint hæretici, idque in illis ipsis quæstionibus (neque enim ferè accidit ut alias sint hæretici) quando jam redarguentur? quis erit disputandi finis? quum ex illis ipsis quæstionibus, quibus oppugnantur, eisdem quoque referendi ministratur inexhausta materia: ut propemodum eis accidere videatur, quod nudis inter acervos lapidum pugnantibus, ut quo feriat, neutri desit, quo se defendat, neutri habeat. Nempe quidam qui in scholis inter primos leguntur, & sunt non minus quam habentur acuti: ut omittam interim quod quædam quæstiones de Deo tam ridiculas excogitarunt, ut putes ridere, propositiones tam blasphemias, ut censeas irridere. Certè contra fidem tam gnaviter objiciunt, tam segniter objecta dissolvunt, ut prævaricatores agere, & fidem joco tueri, serio oppugnare videantur. Hæretici ergo cum talibus composti, quales ante dixi Theologos, cum sint in eodem docti ludo, quando succumbent? non citò hercle opinor, si non unum magis lignorum fasciculum vererentur, quam multos syllogismorum fasces pertimescerent. Sed idoneus erit saltem qui concionetur ad populum. Hercules hoc ipsum est quod ajunt, Bovem ad Ceroma. Nam cum nihil didicerit præter quæstiones, quæ sunt ad aures populi perquam insolentes, minimeque omnium idoneæ, ediscendus est ei nimirum sermo quispiam ex sermonibus Discipuli, aut Veni mecum, aut Dormi securè, res per se inceptæ: quas dum homo tractat ineptior, utpote nec ad id munus assuetum, & qui totam illam verborum congregiem ex alieno stomacho declamet, necesse est ut concio tota frigescat. Quamobrem planè non video quæstiones istæ quid faciant ei quem solæ possident, nisi quod eum ad cætera omnis reddunt inutilem: ut cui si quid ex his proponatur subtilibus magis quam solidis disputationibus, in quibus se antè millies exercuit, jam dormi suæ est, jam cristas erigit velut gallus, qui in suo sterquilino superbbit: at extra illa septa si paulo producatur longius, ignota rerum omnium facies tenebras ac vertiginem offundit. Nec jam Dialectica, rerum cæcitate labanti, quantumvis fortis, quantumvis acutæ succurrat; quæ, ut cognita rerum natura, varias inde species multasque argumentorum formas elicit, ita rebus ignoratis ipsis necesse est, sine ullo usu obmutelcat. Adde

quod illas ipsas captiunculas, quas & penitus & solas per tot annos imbibit, quem sese jam senex è Scholasticorum contubernio, ubi eadem assidue ventilantur, quapiam occasione subduxerit, jam intra biennium universa illa acumina, numerosa nimium videlicet, evanida, nullo reum subnixa pondere, tanquam nebula fumusque disparent: idemque nimurum usuvenit ipsi, quod de anima pueri ex Aristotele subinde citari solet, ut ipsius anima fiat denique velut tabula rasa, in qua nihil omnino depingitur: & mirum in modum versa rerum vice contingit, ut qui prius omnes sapientiae numeros in argumentosa loquacitate posuerat, jam senex infantissimus omnibus risui foret, nisi stultitiae suæ superciliosum silentium sapientiae loco prætexeret. Imò potius hoc ipso ridiculus, quòd qui fuerat Stentore modò clamorior, nunc virtù tam longè diverso taciturnior pílce reddatur, & inter loquentes sedeat Mercurii statuæ trunco quic simillimus Hermæ. Denique, ut quid ego hac de re tota sentio semel intelligas, neque Theologos omnes taxo, neque imperitorum quæstiones omnes condemno; verum eas quæ nihil ad rem pertinent, quæ sunt hujusmodi, ut neque quicquam eruditioni conferant, & multum impieati detrahant: eas inquam non improbandas modò, sed despueendas quoque censeo. Cæteras vero, quæ tractant aut humana graviter, aut divina reverenter, tum utrumque adhibita modestia qua veritatem investigare sese magis quam altercati probent: modò ne quenquam sibi totum vendicent, neque quenquam nimis diu detineant, & suo se pede metiantur, neque se melioribus conferant, nedum anteferant: has, inquam, sic institutas admodum libenter amplector, haec tamen, ut eas tales esse fatear, quibus non inutiliter exerceantur ingenia: tales esse pernegem, in quibus salus universæ recumbat atque innitatur ecclesiæ. Jam Theologos non eos vitupero, qui has degustarunt, imò laudo etiam qui ad altiorem sacrarum literarum peritiam, ad meliorem prisorum, & sanctissimorum, & doctissimorum patrum eruditionem, has quoque non abisciendas accessiones adjeerunt. Verum hujusmodi Theologos (ut ex animo dicam) non probo, qui quæstionibus cujusque generis non insenscent modò, sed immoruntur quoque, qui seu ingenii sterilitate quadam impediti, seu puerili Scholasticorum plausu incitati, neglegunt antiquorum omnium literis, posthabitis etiam ipsis quorum se Doctores profitentur Evangelii, nihil omnino præter quætiunculas didicerunt, partim per se inanes, partim inanes his qui cæterarum rerum omnium inanes ipsi sunt: idque jam senes, atque ideo deplorati, qui neque Scripturas cominodè tractare incognitis Veterum scriptis queant, neque ad eas cognoscendas (qua nunc sunt Latinae linguae penuria) pares esse possint: redire vero ad Grammaticam, atque inter pueros, imò ve- rò à pueris etiam discere, hoc non solum di-

sputet, sed etiam serum est. Iltos ego, mi Dorpi, tantum abest ut probem, ut etiam, quomodo apud Romanos malū Magistratus publicis cogebantur sese abdicare in unerbis, ita iltos quoque non tam re quam vocabulo Theologos audiendos censem, ad hunc Magistratum, quo tam immerito funguntur, ejrandum. Neque mirum est tamen, esse aliquos in tanto Theologorum numero tales. Nam quis ordo obsepiritam diligenter potest, ut non ambitione, pretio, gratia, aut aliis malis artibus aliquis indignus irrepat, qui cum sit in editum receptus, quam potest plurimos sui similes in eundem locum suo suffragio sablevat? Ita sit, ut nullus ordo sit, qui non indignis abundet. Nam ut in Senatu Romano fuerunt, quorum majestatem nulli teges æquabant: ita rursus erant quidam adeò tenues atque inglorii, ut misere inter spectacula vulgi compresu elisi perierint. Quanquam ut nec illorum fulgori istorum humilitas obsuit, nec istorum tenuitatem Senatorium nomera exemit contemptui: ita nec iadignos Theologos istorum nomen eripit conuineliz, nec eorum contemptus, aut erga singulos qui vere sunt, honoris quicquam admittit, aut erga universos quicquam reverentia ac majestatis imminuit: cuius ego certè tam conservandæ atque ampliandæ sum cupidus, quam quisquam vivit etiam cupidissimus. Nam de Erasmo stultum fuerit idem polliceri, quum nemo nesciat, in sacrum Theologorum ordinem nihil perperam aut dici aut tingi posse, ut non propriè ac peculiariter ipsius agatur negotium. Habet igitur hac in re animum, mi Dorpi, meum, nec dubito herclè, quin etiam (si tu is es, quem ego tecum fingo) tuum, quem si probas, asse Erasmi puta: sit minus, tantum meum, imò nec meum diutius quam tu voles futurum. Neque enim quicquam animo est unquam tam obstinate obfirmatum meo, ut non paratus sim eo jubente mutare, quem sciam nunquam quicquam sine ratione jussurum. Sed hæc haec tamen. Ad reliquas epistolas tuas partes ero tanto brevior, quanto in hac fui vel æquo verbosior: utrumque etiam merito. Nam ut ea, de quibus ante differui, Erasmus nunquam vidit, ita de quibus deinceps sum dicturus, & ipse scripsit, & le diligentius pollicetur scripturum: tum quædam sunt hujusmodi, ut in his divinis etiam Hieronymus non suo solum exemplo quasi præjudicio Erasmi partem tueatur, sed totam item quoque tanquam edita in scriptis sententia, secundum eum pronuntiaverit. Nec enim quicquam est quod tu, ne quicquam in Scriptura mutetur, è Graecorum fide codicum prohibes: quod non olim adversus beatum Hieronymum & objectum sit, & ab eo validissime confutatum. Nisi hoc videri novum vis, quòd translatiobibus, ut aïs, quæ multæ olim fuerant, ejus omnibus, ne varietate codicum fideles vacilla-

vacillarent, hanc unam à sanctis patribus acceptam, ab Hieronymo castigatam, atque ad nos utique transmisam comprobavit Ecclesia: non uno aliquo contilio, sed perpetua consuetudine ad eam recurrendi, quoties in illo consilio de fide nodus incidisset. Neque enim alioquin fieri potuisse, ut ceteræ omnes interierint, atque hæc ad nos sola pervenerit, nisi id non forte accidisset, sed exhibita à majoribus nostris industria fuisse curatum. Primum mi Dorpi, nemini dubium esse puto, quin hæc ipsa editio ante Hieronymi tempora (neque enim alioquin ipse hanc potissimum castigasset) & recepta sit ab ecclesia, & assidue citandi usu comprobata: quod ego vel solum in causa fuisse puto, quare ad nos usque sola duraverit. Cur ergo Hieronymus ausus est mutare quicquam, idque non alius modò & optimis & sanctissimis viris approbantibus factum, sed ipso quoque Augustino adhortante ut fieret? Mutavit verò Hieronymus, ut ipse fatetur, si quid in sensu tuit, quo Latinus codex discreparet à Græco. Hoc ille putavit utilius, quam ea quæ tu Erasmo suades ut faciat, videlicet ut ea tantum annotet quæ commodius ac significantius interpres vertere potuissent, sensum verò si quando discrepet, manere patiatur, nec mendæ manifeste Latinos admoneat. Quod divus Hieronymus non usque adeò curandum censuit, ejus tu præcipuum curam habendam putas: quod ille judicavit potissimum, ab eo tu potissimum deterres. Sed hic occurrit ac fateris, id ab Hieronymo rectè factum, quod videlicet tunc opus erat, dum adhuc vulgata hæc editio non satis esset emendata: at nunc repurgatis vitiis supervacaneum iterum purgandi laborem fore. Nam si opus tam nunc esset, quam tunc erat, non est ratio, cur minus bene mereretur, à quo nunc idem denuò fieret, quod tunc Hieronymus fecit. Primum, neminem esse omnium puto (dicam enim audacius) neque Hieronymum quidem ipsum, qui profiteri ausus sit, se tam certum sui, ut in vertendo nihil eum possit omnino subterfugere. Usque adeò non deerit vel mediocribus interdum, post meliores etiam, in quo verlentur utiliter. Ergo quis vertendi finis erit? inquis, facillimus: si evenerit, ut quisquam tam commode verterit, aut ab alio non optimè versum, alias ita correxit, ut his manentibus integris, non inveniant posteri quod mutandum censeant. At periculum est interim, ne variae translationes dubios faciant animos fidelium, ut tam credere debeant veriorem: quod ipsum in causa fuisse censes, ut reliquæ omnes de industria rejectæ sint, hac una servata, ne si deles vacillarent. Quia in re usque adeò ego abs te dissentio, ut quod tu majorum cœtræ tribuis, ego temporum assignem incuria, qua nimicum non illæ tantum translationes, sed multa etiam alia periæ. Alioquin etiam si unam in ecclesiis tenendam recepissent,

reliquas tamen quid necesse fuit abjicere, ex quibus non erat periculum, ne fideles vacillarent? Imo quemadmodum nunc Evangelistarum varia narratione, series rerum in luculentiorem pervenit notiua, ita tum ex diversorum collatione interpretum studiolo lectori daretur occasio, si quem aut verbum fef. ilisset æquivocum, aut orationis decepisset amphibologia, aut sermonis proprietas imposuisset, ex reliquis conjiciendi quid verum sit. Quod sanè utilissimum esse & Augustinus sentit, & Origenes experimento didicit, & Jacobus Faber Psalterii quintuplici editione docuit. Atque hæc ideo dixi, ut ostenderem etiam, si divi Hieronymi labor adhuc maneret integer, non illum tamen reprehendendum esse, quisquis, si quid ab illo quoque præteritum inventisset, hoc ipse, velut relietas à meliore spicas, colligeret. Nunc verò quis non putet codices Latinos nihilominus atque olim è Græcis esse corridentes, quum ita sint rursum infecti mendis, ut ne vestigia quidem Hieronymianæ emendationis appareant? Quod usque adeò in confessu est, ut ipse tu quoque, qui id maximè negas, idem fatearis tamen. Nam cu[m] ideo maximè contendas, corrigendi laborem frustra sumi, quod Hieronymi castigationes afferis magna patrum diligentia servatas esse integras: tum in proximo ferè versu subdidisti: *Reffonde jam Erasme, utram prober editionem Ecclesia?* Græcamne, quæ non uititur, an Latinam, quam solam citat, quoties ex sacra Scriptura aliquid definiendum est, vel præterito Hieronymo, si quando aliter legat, quod quidem non raro contingit? Imo tu nunc responde, Dorpi, si, ut ipse dicis, & verè dicis, non raro legat aliter Hieronymus quam vulgaris habet editio, quomodo potest esse verum quod antè dixisti, eandem editionem ita manere correctam, ut ille correxerat? Neq; & enim quemquam arbitror esse crediturum, solum quicquam contra suam ipsius correctionem proposuisse legendum. Tam ergo nunc opus correctione est, quam olim fuit. An verò tantundem liceat, hoc restat inquirendum. Quanquam nec inquirendum hoc, nec dubitandum videtur, quin emendati codices tam nunc sint Ecclesiæ utiles, quam olim fuerunt. Sed Ecclesia nunc, inquis, istam editionem comprobavit. Atqui eadem Ecclesia eodem modo eandem editionem ante Hieronymi correctiones approbaverat: id quod jam antè respondi. Quamquam non pigebit eandem orationem tuam, quam tu tam invictam censes, denuò excutere, ne me prætervehi quicquam dissimilanter putes. Videris ergo mihi sic colligere: Augustinus nec Evangelio duxit esse credendum, nisi Ecclesiæ compelleret authoritas. At Ecclesia comprobavit in hac translatione verum esse Evangelium. Consequitur ergo, si quid sit in Græcis codicibus diversam, ut verum in illis Evangelium esse non possit. Hæc est (quantum peripcio) argumentationis tuæ summa,

quæ

quæ mihi videtur ejusmodi, quam non sit difficile solvere. Nam primum Ecclesia sic in Latinis codicibus contineri credit Evangelium, ut fateatur tamen è Græco translatum. Credit ergo translationi; sed magis archetypo credit, Evangelium in Græcis esse verum: in Latinis verum esse credit eatenus, quatenus fudit interpreti, in quo (ut opinor) nunquam tantam habet fiduciam, quin eum labi cognoscat humana fragilitate potuisse. At in Conciliis citatur ex Latino codice, non ex Græco. Mirum vero, si Latinis ex Latino cirent codice! quasi ideo fecerint, ut de industria fidem archetypis abrogent Græcis. Apostoli nonne citabant ex Prophetis secundum translationem septuaginta Interpretum, omissa interim Hebraici textus veritate, dum Græcis scriberent? nec ideo tamen Hieronymus factum putavit esse præjudicium, quasi Græca translatio quam Hebraica litera Apostolorum censeretur. authoritate sincerior. Ego certè hoc persuadeo mihi, idque (ut opinor) verè, quicquid ad fidem adstruendam faciat, non esse à quovis melius versum, quam ab ipsis Apostolis præscriptum. Ideoque fit, ut quotiens in Latinis codicibus occurat quicquam, quod aut contra fidem aut mores facere videatur, Scripturam interpretes aut ex aliis alibi verbis, quid illud sibi velit dubium, explicantur, aut ad unius Evangelium fidei, quod per universam Ecclesiam in corda fidelium infusum est, quod etiam priusquam scriberetur à quicquam, Apostolis à Christo, ab Apostolis universo mundo prædicatum est dubios hujusmodi sermones applicent, atque ad inflexibilem veritatis regulam examinent; ad quam si non satis adaptare queunt, aut sese non intelligere, aut mendosum esse codicem non dubitant: cuius morbi medelam censent aut à diversis interpretationibus, tanquam medicis, implorandam (quod tibi jam periculum videbatur) aut velut à fonte quodam ab ea lingua repetendam, unde ea scriptura in Latinum fluxit eloquium. Verum tu, mi Dorpi concedis, olim rectè fecisse eos qui Latinos, quam ab Ecclesia receptos atque approbatos, codices è Græcis emendaverint: sed idem tamen negas nunc rectè fieri, propterea quod verisimile sit, ipsorum libros Græcorum aut de industria fuisse depravatos ab ipsis, jam olim à ecclesia Romana desciscitibus, aut postea saltem per incuriam vitiatos. Neque enim esse credibile, si Latinorum, quibus perpetua fidei cura fuit, codices paulatim tamen labefactati sunt, incorruptos adhuc restare Græcorum, apud quos ipsa jam olim fides corrupta sit. Hæc ratio, Dorpi, non flexit Hieronymum, quo minus Instrumentum Vetus ex Hebreo sermone transferret: quamquam si quid hic valere debet, ibi magis debuisset, quoniam nemo oesciat, Judæos ex professo infestiores fuisse hostes Christianis, ut quibus in universo repugnabant, quam Græcos Latinis, quibus cum communi Christianorum nomine convener-

rant, licet in quibusdam differerint. Et profectò (ut vere dicam) videtur mihi nequit quam credibile, ullam gentem in depravatos libros unquam conspirare voluisse, ut ne dicam, nec potuisse quidem. Quæ enim spes esse potuisset, neminem ab ea re alieno animo fore? aut claram id fore consilium, quod si resciceretur (ut erat necesse, quum à Judæis ad Christum, à Græcis ad Latinos aliqui nullo non die profugerent) nonne prævidebant fore, quum nihil astuerentur, suæ præterea parti sese præjudicium alaturos? si se faterentur eam fovere causam, quam sibi concii essent non aliter posse se, quam codicum depravatione defendere? Sed de Judæis Hieronymus viderit. Græcos certè ab hac falsitatis suspicione liberat vel illud, quod in his de quibus eis nobiscum fuit controversia, eorum libri cum nostris consentiunt, nec de litera unquam, sed de intellectu literæ quaestio fuit. Quanquam nemini potest esse dubium, eos si mutare voluissent quicquam, non ea primum modò, sed sola quoque fuisse mutaturos, quæ pro nobis contra eos faciunt: quæ si falsassent, non fuisse causa tamen, cur in aliis idem facturi putarentur. Nunc verò quid comminisci quicquam possit, cur alia falsare voluissent, cum hæc ipsa reliquerint integra, quæ vel sola falsare voluissent? Sed incuria saltem vitiatos esse credi potest, præsertim si hoc nostris contigit, quibus verisimile est libros fidei, sicut fidem ipsam, majori semper cura fuisse. Possem hic opponere non Hieronymum modò, sed Augustinum quoque, quorum uterque censet emendatores esse Græcos codices, quam Latinos. Sed ratione malo quam auctoritate contendere. Hoc certè assero, neminem esse tam cuiusquam libri incuriosum, ut ita transcribendum locet, tanquam pensi non sit habiturus, vitiosumne an emendatum referat: quum aliquid possit operæ & impensis parcere, si omnino ne scribatur curet. Persuadeo ergo mihi, Græcos etiam curasse ut diligentia in transcribendis ipsorum libris adhiberetur; quod nemo dubitaverit qui libros eorum diligenter inspexit. Hoc præterea rursus affirmo, apiculos, distinctiones, & accentuum notas in causa esse, quo minus facile apud eos in scribendo erretur. Nec ab hoc affirmando deterreor, quod tu hoc argumentum in adversam partem retrorsisti: propterea quod (ut ait) facilius erratur, ubi multa sunt observanda. Verum ego contrà censeo, ibi misus facile errari, ubi facile erratur, ut ego quoque Dialecticorum more enigma proponam. Verum sic opinor tamen, in modo sic experior: quemadmodum in planicie, dum festinamus intrepidè, ubi nemo casum expectat, sæpe labimur, quum à precipito salvi sensim nec nisi certo atque explorato gressu descendamus: haud aliter evenire scribendo, ut ad exemplar perplexum scriptor eo transcribat verius, quo videlicet attentius, quum ex pulchro codice ipsa securitate labatur. Quanquam & nostros vitiatos esse, & eos remansisse sinceros, vel hinc

cluēscit, quod in nostris eadē nunc vitiā deprehenditius, quā Hieronymus olim censuit emendanda; in illis eadem adhuc videbis verba, ex quibus ea Hieronymum constat emendassem. Ergo quas ille mendas olim ejecit, nunc non sicebit ex iisdem codicibus rursum expungere? & quum religiones (quas vocant) omnes fas sit sēpius renascentibus vitiis reformare, libros semel purgatos repullulantibus mendis nefas repurgare ducemus? Jam quōd queris, quid sit quod Latinos codices non sinat incorruptos, deinde tibi ipse respondeas; quid nīs Chalcographorum incuria pariter & imperitia? & illico subjungis: Vide jam utros invenies rariores? qui Gracis imprimentis sint idonei, an qui Latinis? & scies utros codices censere debear castigationes. Quid tu his verbis, Dorpi, ve- li, non intelligo. Neque enim te vereri puto, ne in annotationibus in Scripturas Erasmus impressis utatur libris: quum neque scriptorum codicum desit copia, neque in eam rem impressis uti, etiam si velit, posfit, cum Novum Testamentum, in quod ejus desudat labor, nunquam hactenus, quod sciam, Gracē Chalcographorum typis excusum sit. Quōd si hoc voluisti dicere; quum Chalcographi Gracē impriment literas quam Latinas depravatis; idem in veteribus etiam utriusque lingua Scriptoribus accidisse; semper eamus istos, Dorpi, qui literas sic Latinas impriment, ut Gracē magis quam Latinas: sic vicissim Gracē, ut Arabicā magis quam Gracē; videantur. Comparemus in utroque genere qui utrumque possunt, cuiusmodi Aldus Manutius Romanus erat in primis, & nunc Joannes Frobinius Basiliensis: hos atque ejusmodi Chalcographos audēo affirmare, quod ipse quoque experimentis comperio, verius ac sincerius Gracē quam ipsa Latina referre. Quod ipsum multaque itidem alia ad hanc rem facientia, multo certius ipse legendo quam audiendo intelliges, si te quoque aliquando ad Gracē in lingua pernoīcendam converteris; id quod valde opto: nam suasurus frustra sim, quod nec Erasmus persuavit; adversum quem, imò temet adversus ipsum, sedulō te defendis, ne cogare videlicet ex Gracarum cognitione literarum proficere. Quamobrem ut ad eas te literas, pro animo istoc tuo tam adversus eas obfirmato, hortari supersedeo, ita pro meo in te amore optare tibi non definam: nec spem tamen unquam depono, fore aliquando, nec id quidem haud multo post, ut cessantibus hac de re disputationibus, in quibus assidua tua illa in scholis victoria non patitur te liberenter cedere, quod (ut video) jam nemo potest alias; ipse nimis tamen persuadeas tibi, cū istos Imperatores tuos quibus nunc militas, quorūque interim gratiam tanto magnā eruditioṇis parti præfers, aut matuore judicio neglexeris; aut certe etiam illis ipsis utile & tibi & eorum consiliis tibi persuaseris, quo videlicet Gracistas istos suis ipsorum gladiis confodias, majore que aduersus eos authoritate differas quam tuus, cū de re tibi tam in totum ignorata dis-

putas. Qua de re tamen cum perinde scribas, ac si supervacaneam putas operam quā in Gracē literas impenditur, mihi profectō non persuades, ea te sentire quā scribis. Neque enim simile veri fit, te vel ea prudentia commoditates ejus lingua non videre, vel eo in bonas artes omnes studio non concupiscere, præsertim cum abs te quoque dum negligendam disputas, propemodum afferantur causæ, quibus incitari maximē ad eam consequendam possis. Nam si (ut tute verisimilē certe ac sapientissimē dixi) unaquæque lingua ea precipuè dote præstat atque excellit alias, si contingat ei ut maiorem bonarum disciplinarum thesaurum in suis literis velut arculis contineat: quis hac unitate tua nesciat, Gracē esse eam quā summopere sit cum ab universis mortalibus, tum verò seorsum à Christianis amplectenda? ut pote à qua & omnes disciplinæ reliquæ, & Novum Testamentum ferè totum nobis felicissimē sucessit: nisi tu illam hoc translationum quotidiano proventu, velut assiduo partu, esfētam nunc tandem & que exauastam putas. At primum ex his ipsis Commentatoribus Aristotelis, quos tu in illa oratione commemoras, quam sive ut Laurentium vituperes, sive ut laudes Aristotelem, (nam utrumque acriter ex æquo facis) elegantissimē certe scripsisti, Alejandro inquam, Themistio, Ammonio, Simplicio, Philopono, Olympiodoro: quotusquisque ex his inquam est, excepto uno Themistio, qui non adhuc sua tantum lingua legatur? nisi quōd Alexandri problemata in Latinum venere sermonem. Ex reliquis si quid Latine legitur (neque enim ignoro, haberi & Alexandri, & Simplicii fragmenta) id totum ejus generis est, ac tam parum Latinum, ut à Latinis propemodum minus quam ipsa Gracē intelligentur. Neque jam de Poētis aut Oratoribus dico quicquam; sed neque de aliis Philosophis, aut aliis etiam ejusdem Aristotelis Commentatoribus verbum facio ullum. Quanquam vel unus Joannes Grammaticus tantum habet acuminis, tantum eruditioṇis, præsertim Aristotelicæ, ut si cum eo possis ipsius lingua loqui, reduceret te, satis scio, unus ille cum Grammaticis omnibus, quibus nunc parum propitius videris, in gratiam. At ex antiquis Christianæ doctrinæ Scriptoribus, cūn multo maximaṇ partem Gracē constet scripsiſſe, per pauci pro tanto numero versi sunt: quidam verò ita versi, ut potius videantur subversi. Ad Aristotelem ipsum venio, quem & ego ut supra multos, ita cum multis amo, quem tu in memorata oratione tua videris non supra multos modò, sed pro multis quoque, atque adeo pro omnibus amplecti. Hic ergo ipse non poterit totus tibi sine Gracarū peritij literarū innotescere. Nam ut omittā illud quod nihil ejus tam cōmode versum est, ut non idem ipsius suis ipsius verbis accepti in pectus influat potentius & illud itē, quod quædā opera ejus adhuc Gracē feruntur, quorum titulos nescio an Latini habeant; certe ex his ipsis operibus quā nunc habent, sic habent quædā, ut etiam non habeant. E

Qua forte ipsum etiam Meteorologicorum opus tam constat esse, quam dolendum est: quum nescio an ullus ex tam multis ejus viri laboribus dignior scitu sit, aut ipsa rerum natura ab illa sui parte mirabilior, quam ab ea, quæ, ut nobis proxima circumfusaque undique, ita magis ignorata atque incerta est, quam astrorum positio, motusque syderum, quæ tam porrò semota sunt. Sed hoc opus tamen spero propediem fore, ut à Thoma Linacro nostra te, illustrissimi Regis nostri Medico, Latinis donetur auribus, utpote cuius jam nunc duos libros absolvit: perfecissetque nimurum opus, atque edidisset universum, nisi Galenus eum exorasset, ut quem dux atque Imperator medicæ rei sit, vel deposito interim Aristotele, Latinus ejus opera prior ipse redderetur. Prodiit ergo Aristoteles aliquanto serius, sed prodidit tamen nihilo incultior: præterea nec in-comitatus. Nam Alexandri Aphrodisiæ Commentarios in idem Opus unà vertit, initurus apud Latinos omnes immortalem gratiam: in quorum non vulgarem utilitatem, Philosophi præstantissimi operit tam egregio præstantissimum Interpretarem sic adjunxerit, ut ejus labore demum ab Latinis possit intelligi, quod ha-  
cētenuis à nemine (ut ego certè suspicor) qui Græcè nescierit, intellectum est. Nam quum ipse jam olim idem Aristotelis Opus audirem Græcè, eodem mihi prælegente atque interpretante Linacro, libuit interdum experiendi gratia vulgatam etiam translationem inspicere: è cuius lectione mentem illicò subiit ejusdem Philosophi de Physicis suis dictum. Nam ut illa sic ait edita, ut tamen edita non sint: ita hæc quoque sic versa videbantur, ut nullo pa-  
cto versa viderentur; usque adeò, ut quæ Græcè callebam probè, eadem ipsa verfa non intelligerem. Neque est quod à Latinis Interpretibus sperari possit auxilium, quum Albertus quoque, quem ad æmulationem Alexandri Magni, Magnum vocant, quique se periphra-  
sten Aristotelis profitetur, paraphrastes verius in eo opere judicari debeat; ita cum sit ejus officium, Aristotelis sensum aliis verbis referre, affert proflus (ut ajunt) ex diametro diver-  
sa. At Cajetanus (nam is quoque facit Com-  
mentarios) describit nobis, unus terræ pugil-  
lus in quo pugillos aquæ liquefcit, & aquæ item pugillus unus in quo pugillos aeris dissol-  
vit, & quod non ulterius ad eundem modum progreditur? Sed tamen dum has tam imme-  
surabiles mensuras metitur, ad Aristotelis inter-  
im sensum ne gry quidem. Infinitum, mi  
Dorpi, fuerit explicare, quam multa desint ei  
cui Græca defunt. Neque tamen ignoro, &  
alios multos, & te in primis ipsum, sine Græcis  
literis ipsam doctrinæ arcem versus eo usque  
proiectum, quod multi non possint etiam Græcè  
docti sudantes atque anhelantes ascendere.  
Sed hoc unum tamen ausim affirmare: si ca-  
teris disciplinis tuis tu Græcas præterea literas  
adjeceris, quantum nunc alios & Græcè peritos  
exuperas, tantum tunc te etiam ipsum supera-

bis. Sed de his haec tenus. De Moria, quoniam Erasmus, qui eam olim meo patrocinio com-  
mendavit, eandem rursus tuendam suscepit, ti-  
bi non est necesse multa distlerere, quum res  
alioqui per se facilis redditia sit partito labore  
facilius. Itaque ut non dubito, quin ille sit ea  
dicturus, inquit in illa brevi epistola jam nunc di-  
xit, quæ sufficere apud omnes debent: ita ego  
quæ dicam, quantulumcunque apud alios va-  
litura sint, apud te (ut opinor) invalida esse  
non possunt. Et primum miror, quid hæc sibi  
tua verba velint: *Ecce repente infasta Moria*  
*tangam Davis inturbabat omnia.* At quo-  
modo nunc repente? quasi nunc primum Moria  
repente prodierit, quæ jam plus annis se-  
ptem septies interim novis excusa formis in  
clarissima luce versata, in omnium sinus rece-  
pta sit. Aut quamobrem quæsto infasta? quæ  
quam felicibus auspiciis processerit, nonne  
vel hoc abundè demonstrat, quod non debu-  
set toties in tot exemplaria diffundi, nisi tam  
multos invenisset quibus impensè placuisse?  
nec hos ex fæce vulgi (neque enim eas merces  
facile distractas esse mirarer quæ placerent in-  
doctis, quorum ubique turba scaturit) sed do-  
ctissimis. Nam eam non nisi doctis placere  
vel hoc indicio est, quod non nisi docti intelligunt:  
quod ipsum fortasse fuit in causa, ut hi  
duo autres Theologi, quos Moria commo-  
vit, irascerentur, quod ab aliis persuasi credunt,  
plus ab ea ipsa dictum, quam dictum sit: alio-  
qui fors non succensuri, si ea ipsa quæ dicuntur  
ipsi intelligerent. Sed tu, mi Dorpi, putas nul-  
los rideri potuisse Theologos, quanquam ta-  
les eos esse, quales Moria joco describit, ipse  
propemodum serio fateris, quum ait: *Affera*  
*facetia, quibus multum vere admixtum est,*  
*acrem suis memoriam relinquunt.* Verum est  
hercle quod dicas. Non tam acriter has tu-  
lissent facetias isti Theologisti, nisi quam erant  
asperæ, tam etiam vera fuissent. Ergo cum ta-  
les sint, quales ipse fatearis esse, probas? non  
opinor, vituperas ergo? apud te certè scio fa-  
cis, faceresque palam, nisi in animum induxis-  
ses tuum, nemini esse adversus: & ita te com-  
parare statuisses, ut te omnes proflus cujuscun-  
que modi sint, docti indocti, boni maleque,  
laudent, cui (ut ait) volupe sit, si vel catelli cau-  
da, velut amicitia symbolo, blandiantur. Fa-  
cis tu profecto, mi Dorpi, cautius: sed nec ille  
tamen deterius, qui in malos apertè ac simpli-  
citer, quod Gerardus facit Noviomagus, inve-  
hitur: quanto minus qui, quod Erasmus facit,  
sumpta Moria persona & prudenter magis,  
& minus licenter jocatur? cuius cum jocos fa-  
lesque non feras, & παλινωδῶν eum velis: in  
Satyris Noviomagi ramen (ut scribis) nihil in-  
venisti quod mutari velles: quum tamen illæ  
Satyræ sint mordaciores ubi sunt lenisimæ,  
quam Moria ubi mordet maximè, meritoque:  
nam id Poëeos natura poscit, quæ nisi sit acer-  
ba, non est Satyra. Itaque opera precium est  
audire, quam satyricè in Monachos ubique ac  
fratres inyechitur, ut illorum superbiam, luxum,  
inscitiam,

inficitiam, compotaciones, ingluviem, libidines, hypocrisine describit, non minus ele-  
ganter quam acerbè, nec minus etiam merito. Nam licet multi illis sint opprobriis indigni,  
non desunt tamen aliqui, in quos singula qua-  
drant, quidam etiam in quos universa concur-  
rant. Quamobrem non miror, nihil in eis re-  
perisse te quod mutari yelles, sicuti nec ego  
certe. Sed hoc miror, cur abs te non possit im-  
petrare Moria, ut impunè jocaretur in Theo-  
logos, quum illæ abs te obtineant Satyræ, ut  
tam acriter objungent Religiosos, atque in his  
Theologos etiam. Sed omitto Gerardi Saty-  
ras. Si quis tuas, mi Dorpi, excutiat epistolas,  
nihilne reperire possit quo tu ullum hominum  
genus aliquo mordaci dicto perstrinxeris? An  
illud edensulum prorsus esse putas, quo in me-  
morata epistola ad Menardum Abbatem, re-  
spurgis Antistites? qui dum illum laudas, alios  
hoc pacto deploras: *Heu me, heu miseros eos,*  
*qui non religiosos agunt, sed caballis stipati, Ca-*  
*saris triumphos nobis referunt: quos satius foret*  
*humiri repere, quam ad inferos equites properare,*  
*ni pedes timeant serius illuc pervenire.* Hæc  
mihi Dorpi tam mordax facetia usque adeò ti-  
bi blandita videtur, ut ideo de equis potissi-  
mum locutus videare, ne tam bonum dictum  
perderes: alioquin, opinor, vides, non usque  
adeò magnum facinus esse, si Abbes equitent,  
& bestiis, in quos creati sunt usus, utantur. Au-  
divi etiam, nec alios Antistites equitare sem-  
per, & illum tuum interim; ut in illum etiam  
ipsum penè jocus tuus recidat, à quo eum cu-  
pis in alios avertere. Sed ita sua cuique blan-  
ditur ratio, tam bene sius cuique crepitus olet,  
ut cum ad aliorum jocos frontem contrahim-  
mus, & velut asperos non patimur, nostros,  
neque magis festivos, & magis mordaces, am-  
plectamur. Sed hæc in religiosos Antistites  
jocatum te negabis, verum deplorasse potius,  
præsertim cum ab illa inauspicata interjectione  
auspicaris. *Heu.* Ego certe quacunque figura  
proferatur jocum puto, quod ita dicitur ut ne-  
mo sine risu audiat. Quanquam quid refert  
joco an serio mordeas? imò refert ad-  
ed, quum nemo ferè sit qui jocoso in se dicto  
non arrideat, serium nemo sit qui ferat. Alio-  
qui, si deplorare licitum, jocari vetitum putas,  
facile Moria fuerit toti orationi jocosæ inter-  
jectionem dolendi præponere, & mutata figura  
Theologos eosdem, quos antè derisit, ius-  
dem verbis denud deplorare. Neque eam  
facile decernas, utrum deplorandi magis, an  
ridendi sint. Sed in Antistites fortasse quid-  
vis licere debet etiam mediocres: at in Theo-  
logos, utut sint, licere debet nihil. Nam eò  
ferè tendunt, quæ in hac novissima ad Eras-  
mum scribis epistola; Ais enim: *Miraris,*  
*tantos concivisse motus tuam Moriam, que plu-*  
*ribus placet, non Theologis modo, sed Episcopis*  
*etiam.* Atqui ego te demiror, Erasme, qui  
pluris facias Episcoporum in hac re judicium,  
quam Theologorum: siquidem Episcoporum  
nostræ seculi viam, mores, eruditionem dicam.

an inficitiam, noveris: queram ut sunt certe  
nonnulli tanto digni fastigio, ita mira est pauci-  
tas. Hic tu, Dorpi, cùm Theologos ægrè  
levissimo joco patiaris aspergi, Episcopos  
apertis opprobriis magna cum autoritate  
perfundis, ut in quibus non tantum eruditio-  
nem requiris, & carpis inficitiam, sed vitam  
quoque ac mores contumeliosè condemnas.  
Sed Theologos plurimum refert (ut sis) in-  
tegræ apud populum esse autoritatis. Quasi  
nihil referat, apud populum quales æstimen-  
tur Episcopi: qui quem locum teneant in  
Ecclæsia Christi, quam longè supra Theologos  
tuos, non est ignotum tibi, qui Pontifices li-  
quidissime novisti in Apostolorum successisse  
locum. Neque cautius prospexit putes ti-  
bi, quod nonnullos feceris Episcopos tanto  
dignos esse fastigio: cùm nec ipse Moriam  
credas indignorum vitia dignis imputare  
Theologis, quæ tamen vel hoc te vincit, quod  
nihil impedit per ea multos dignos esse Theo-  
logos. At Episcoporum per te bonorum non  
modò paucitas, sed etiam mira paucitas, sed  
donemus hoc tibi, nihil esse malii, Pontifices  
vel ridere diceris, vel maledicis incessere,  
modò ne sacrosanctos Theologorum magi-  
stratus attingas. Quid ad hoc dicas? quod  
illos ipsos Theologos non nomine quidem,  
sed descriptione tam evidente, ut non ullo  
nomine designari potuisse expressius, ita  
mordes ut penè lacetes, in procemio quod  
in Pyrgopolinicem Plauti fabulam lepidissime  
conscriptisti. Verum interiti Plauti me-  
nomen admonuit eorum quæ tu sparsim per  
epistolam tuam cum in cæteros Poëtas, tum  
in Terentium nominatim ex Augustini ver-  
bis congeris: quæ fœ longiorem disquisitio-  
nem flagitat, quam ut à me in hac dispu-  
teatur epistola. Sed hoc tamen abs te quero,  
utrum tibi illis verbis hoc voluisse videtur  
Augustinus, Christianis videlicet non esse  
legendum Terentium? Quod si ab eo per-  
discendo non deterreat, nihil aduersus Poë-  
tarum lectiones facit ille locus. Si Augusti-  
num id egisse putas, ut à Poëtico studio Chri-  
stianos avertet, rursus abs te percunctos,  
ipsene Terentium adhuc docendum censeas?  
Quod si censes, quid attinet id tam citare  
diligenter, cui non putes esse parentum? Si  
docendum neges, ab Augustino videlicet  
persuasus: iniro profecto, quo pacto ac-  
ciderit, ut tandem nunc primùm tam serio  
persuaserit ille, quem te non dubito tam  
diu ante legisse: nec interea tamen absti-  
nuisse à legendō Plauto, nec à legendō tan-  
tum, sed nec à dōcendo, exhibendo, agen-  
doque publicè, Poëta nihil quam Terentius  
est castiore, imò ne tam casto quidem. Quid  
quod ejusdem Millitem gloriosum facetissimo  
prologo locupletasti? Aulularia verò non  
procemium modo, sed qui comoediæ defuerat,  
finem adjecisti? qui mihi, seu sermonis ele-  
gantia spectetur, sive sales, sales verè Plautini;

nulla parte totius comædia videtur inferior. Cujus rei vel hi ipsi versus erunt indicio, quibus (ut dixi) Theologos istos amusos, quos nunç tueris, ita bellè describis, ut nemo derideat falsius, nemo infectetur vehementius. Nam quid his carminibus (referam enim) vel magis facetum possit esse, vel magis elegans?

*Primum omnium qui sunt amusi, & literis  
Non proletariis malè inauguriati, eos  
Ablegat hinc in maximam malam crucem.  
Siquidem stomachabundi oblatratores facere  
Pergant etiam dum, quod nunquam non facti-  
tant,  
Clamoribus ampullofis infremere, &  
Venena livoris effunditare sūt,  
Et obloqui, & obgannire, & dentibus omnia  
Arrodere carnivoracibus, & sicut canes  
Solent, quibuslibet allatrare sibi obviis.  
Eos homines (siquidem sī & ipsi homines)  
Quām illiterati sīnt, quām sīnt agrarii,  
Mīhi sedulō iussi Plautus hinc abigere.  
Si forte sīnt presto, nīsi comprimant sibi os,  
Nihilque graxint, minatus est fore ulmeos,  
Ubi hospitio excipientur Archerontico.*

En, mi Dorpi, quām neque Poëtis abstinentum putasti, & amusos illos Theologos quām bene suis coloribus depinxisti? Quòd si te neges tunc fuisse Theologum. (siquidem scripta sunt abhinc septenium) certè vix seculiannus est elapsus, quòd eadem recollecta edidisti, jam certè Theologus: quadriennio post habitam luculentissimam orationem tuam de assumptione Deiparæ Virginis. Quid ergo refert, an Theologus effeceris, an prius facta Theologus edendo comprobaveris? imò refert adeò. Nam ad scribendum impetu plerisque trahimur: intermissa quum retractamus, certum adhibetur judicium. Ergo, mi Dorpi, dum è dentatis Gerardi Satyris, quibus Monachorum spurcissima describit vitia, nihil mutandum censes: dum ipse religiorum antistitum sic misereris, ut rideas, sicrides, ut mordeas: ceterorum Episcoporum, præterquam mīre paucorum, incisiam, vitam, ac mores acerbè vituperas: dum Theologos istos ipsos, quorum in moriam Moriam jocari nefas ducas, ipse amusos vocas, oblatratores, stomachabundos, literis non proletariis malè inauguriatos, ampullofis infrementes clamoribus venena livida effudentes, obloquentes, obgannientes, dentibus omnia carnivoracibus arrodentes, in obvios quoque, sicut canes solent, allatrantes, illiteratos, agrarios, postremò vix homines, in maximam malam crucem censes abiegandos: dum hæc, mi Dorpi, facis, quomodo tibi non venerunt in mentem tua illa tam bene consulta consilia, quibus Erasmus nunc tam amicè ac tam prudenter admones? ubi tunc illud Sallustii; *Extrema esse dementia, nihil aliud quām odium, se fatigando, querere?* Ubi tunc illud Cornelii

Taciti; *Afferet facetas quibus multum veri admixtum est, acrem sui memoriam relinquunt & quo tunc fugiat illud Epicteti; Ne putas omnibus jucunda auditu, qua tibi sunt jucunda dicta?* Profectò, mi Dorpi carissime, sic est à natura comparatum, ut modum semper ab aliis exigamus, libertatem omnes indulgeamus nobis. Novi ego qui Reuchlinum, Deus bone quem virum? non satis & quo animo ferrent, quòd in æmulos suos, videlicet imperitissimos doctissimos, in stupidissimos vir prudentissimus, in vanissimos nebulones homo integerrimus, ab iisdem in tantum lacesitus injurya, ut si manu se vindicasset, ignoscendum ei videretur: novi, inquam qui non ferrent, quanquam ejus etiam studiosi, quòd stylo contra illos liberè, nec magis liberè tamen quām verè, affectus suos effunderet. Novi itidem eos ipsos qui hæc non ferebant, paulo post tamen in rebus & minoris momenti, neque ad se tam propriè pertinentiis, multo etiam atrōcius excandescere. Tanto nimirum proclivius est alienis affectibus quenquam temperare, quām suis. Ergo non licuit, inquis, mihi vel Satyras Gerardi probare, vel in Theologos amusos, adde, antistites atque Episcopos quoq; vel joco vel serio dicere, modò vera, neque nominato quoniam? Imò verò, mi Dorpi, usque adeò siccuisse tibi censeo quòd fecisti facere, ut mihi nihil unquam in vita melius fecisse videaris; modò ea ne dēsit & quitas, qua tibi quod laudi ducis, idem in alione vitio verteris. Istud ergo totum de Moria, mea (mi Dorpi) sententia, & sine causa mōnes, quum nihil sit quod moneri debeat, & si quid esset, post tot annos etiam serō mōnes. Nam quod in calce prioris epistolæ tuæ posuisti, reconciliatum iri Theologis istis Erasmus, quos Moria commovit, si Moria laudibus Sapientiæ laudem opponeret, mediocrem mihi risum mediostidius excusfit. Sapientiæ scilicet, si hoc Moria encomio Moriam sic putant esse laudatam, ut laudari cupiant eadem figura sapientiam! Quod sic sentent, quid irascuntur? cùm sint ipsi quoque à tam laudata Moria tam abundè laudati. Prætereas non video, quo pacto veris sapientiæ laudibus istorum in se invidiam Erasmus lenire possit, quin potius, velit, nolit, multo acerbiorem redderet: quippe cùm eos tam ex sapientiæ contubernio cogeretur ejicare, quām nunc coactus inter peritisimos Moriæ mystas adsciscere. Hæc scribenti mihi supervenerunt literæ, quibus ad se meus me Princeps revocat. Ha me adhuc scripturam coegerunt, ut sisterem aliquando, atque istam finitem vel invitus epistolam: quæ cùm tam longa sit, ut brevior fortasse fuerit, scriptus & in tergo nec dum finitus Orestes: nescio tamen quo tecum colloquendis studio adhuc cupiebat increscere. Quanquam jam nunchenihil intactum reliquimus, certè, quod sciam, nihil per dissimulationem prætermisimus. Neque enim istud reor expectatum quenquam, ut Moriam à blasphemiarum atque

arque impietatis etiam suspicione defendere, tanquam ea Christi religio malè audierit. Nam hoc & in priōribus literis tuis ita posuisti, ut planē te ostenderes contra animi tui sensum alienam referre sententiam: & in hac epistola posteriore, cūm cætera omnia, quanquam illa quoque magna ex parte non tua, tum in quibus hæc aliquis potuit color pro hoc ingenio atque hæc doctrina tua, magnifice atque ampliter excolueris: hanc tamen de impietate calumniam consultò, velut impiam ipsam sacrilegamque, ac non manifestariam modò, verūm futilem quoque atque ineptam prorsus omisiisti. Ea ergo de re nihil erat mihi dicendum, de cæteris dixisse me puto. Nihil ergo restabat aliud de quo tractare volueram. Sed nisi Principis me interpellasset literæ, scripturæ fortasse fui iisdem de rebus plenius. Verum ut non ingrata est hæc epistola necessitas, quod vereor ne qua nunc est longitudine, tibi possit esse molestia: ita non latior ademptam mihi facultatem, qua hæc cædem liceat sub incedem revocate, atque hunc tuudem & informem sc̄utum meum s̄apius lambendo refingere. Quod facere profe? Æo animus erat, ad te doctissime Dorpi, ut cultior aliquanto veniret, cui me meaque omnia probata esse cupio: quorum nunc ruditati non ideo solum veniam dabis, quod properus iste discessus efficit, ne mihi vel relegere liceret: sed ob id quoque, quod ista scribenti mihi non modò libraria nulla, sed nec liber ferè ullus affuit. Quanquam ne nunc quidem ingrata tibi hæc qualiacunque fore in tua humanitate prima spes est, secunda in mei ipsius industria, quam me sedulò cavisse confido, ne quicquam in his esset quod tuas aures merito possit offendere, nisi mihi (ut homo sum) meorum amor imposuit. Quod si usquam incidat, culpam admonitus agnoscam ingenuè, nec tuebor meam: nempe ut quos amo, si quid eorum interficit, non gravatim admoneo, sic ab amicis ipse admoneri valde mediustidius gaudeo. Neque hoc me fugit tamen, Erasmo quædam ex stomacho te non objecisset, sed ab aliis accepta potius protulisse: ut tu vicissim intellegas, me multa his in literis, illis per te potius respondisse, quam tibi; quem ego non solum ut amantissimum diligo, & doctissimum suspicio, verum etiam ut optimum virum revereor. Vale carissime Dorpi, v̄reque tibi persuade, neminem esse tui magis vel in Hollandia tua studiosum, quam sit Morus apud toto divisos ab orbe Britannos, ut cui non minus carus es quam ipsi es Erasmo. Nam carior esse non potes, ne mihi quidem. Iterum vale. Brugis, vigesimo primo Octobris, Anno 1515.

## II. THOMAS MORUS DES. ERASMO ROTERODAMO,

*Viro optimo atque doctissimo,*

S. p.

**E**CQUID vidisti unquam Erasme optime atque doctissime, suaviorem quenquam quam si hic noster Brixius? qui simulatque ipsi quicquam dissimilat, reliquos idem mortales omnes satis elatum putat. Nam quando homo quantumvis stupidus non sentire non potuit, quam esset absurdum, odiosum, infame, sine causa quenquam juriis & conviciis impetrare: iterum atque iterum narrat, infigit, inculcat, epigrammatibus meis provocatum se defendantis tantum partes obtinere, ut diris & execrationibus impetus, non nisi jocis contrā, salibus & facetiis repeat aduersarium. Ceterum de petulantia, mendaciis, probris, quibus omnem prius provocarat Angliam, verbum interim nullum; ut nec de eo quidem, quod quæ similitas olim inter nos agitata fuit in mediis belli tumultibus, eam ille jam olim mortuam, nunc demum in summa pace redintegrat. Et sic agit homo Phormiana confidentia, ut quam suam causam facile sentire possit nulli non esse damnata, qui quidem rem pernorit; tamèn velut eam bene ac dilucide quibus oportuit judicibus approbasset, jam suo jure scilicet quidvis debacchetur in me, & totam peccoris sui sentinam lepidus & facetus exhaustat: qui postquam unum atque alterum epigramma scriptum joco statuit habendum esse pro diris, tanquam dixisse modo, fore omnibus prorsus persuasissime: simul persuasit sibi rem se plausibilem facturum, si paucos versus & adversus petulantissimum ejus libellum & in bellico tumultu ludentes olim, nunc denique tot annis post factam ac firmatam pacem, in quanta nunquam fuit ullorum populorum concordia, libro virulentissimo rependeret: sperans videlicet neque tam oculatum fore quenquam, ut id posset cernere ad quod ipsi libet connivere, neque tam in portunè severum judicem, ut aliud exigat probamentum quam narrantem Brixium, præsertim suæ causæ & qualitatem tanta cum fiducia jactantem. At mihi certè visus esset aliquanto minus impudens, si has ad populum tantum phaleras exposuisset: in quo reperire potuisset aliquos quibus res adhuc esset incognita, multis quibus alteruter nostrum, quodam quibus vel iniuste placent rixæ, ac non hoc pæcto bos ejusmodi se se jactaret ephippiis apud te, qui non tantum proram puppim que certaminis (nisi non legisti Chordigeram: nam cætera legisse te scio) verum etiam certatores ipsos intus, quod ajunt, & in cute nosti: tum cui sciat ejusmodi rixas etiam si que justa sint exortæ causa, tamen pro tui ingenii candore atque humanitate odiosas invitasque esse, nedum hanc illius ineptissimam, injustissimam, inhumaniissimam, & quam abs te vidisset epistola ad se misa, velut præjudicio damnatam, adjectis etiam tux sententiaz

causis, altera in honorem utriusque civiliter magis excoxitata quam verè, quasi nos essemus hi quos literarum intersit concordes esse: altera certè justissima, quod quæ olim flagrante lusimus bellò, ea nunc facta pacé conveniat obliterari. Ex his causis illam quæ civilior erat quam verior, quanquam de me contemptius admittit, de se tamen candidus atque modestus agnoscit: alteram illam quæ tam vera fuit, ut negari non posset, dissimulante præterit, ac rursus ob oculos fundit provocationis pulvrem, qua se lacestimum à nobis & prius prædicat, & hostiliter. Et profectò si Brixius, ut totus est in metaphoris comicis, ab epigrammate meo velut ab epitaphi jubeat hanc auspicari fabulam, negare non possum quem ipse provocaverim. Sin communi more patientur addi sub loco protasis, non erit opinor ambiguum, quod nihil habeat comicum illius turbulentia catastrophe. Nam primum quis non admittetur insignem impudentiam toties acclamantis prius lacestimum se: quum sciat iterum, suam passim prostare Chordigeram, quam non fuisse prosequutus epigrammatem, nisi nostram gentem totam mendacibus impetuisse conviciis. Quia in re quid communisci potest, quod isti prætendent calumnias? an quod epigramma ta mea præcesserint ejus libellum, quum non ad aliud quam ad ejus libelli ludant inscitiam, furta, mendacia? Aut, ut est acutus rhetorculus, contendet in Chordigera nihil esse convicium? At idem quantumvis impudens, non negabit in primo limine Chordigera omnes foedistros vocare se, & petulantem appellare perjuros. Et tamen audet præfari, olivam sese mediis in armis geffisse, homo nimis sic affectus erga mendacia, ut perjurium quoque & foedisragum habeat in blanditiis. An nihil ad me pertinuisse censem, mendaciis & calumnias ab illo lacestiam patriam, quod ipse non attirigar nominatim? Nam id videtur inauere, quasi non hac ratione, atque adeò eadem præclaras oratione latroni liceat in jus vocare viatorem, à quo sit fortasse repulsus inclemens, quum non illum impeteret, sed insidias tentaret pecunias. At fortassis etiam si non in illum prius, saltem scripti acerbius. Est enim & in ulciscendo modus. At ego Polyphe mi barbariem imitatus præ stomachi rabie Brixium, alterum videlicet Ulyssem, diris & execrationibus infestatus sum. Ita sanè disputat, nihil habens pensi quæ falsò. Nam eo solatur se, quod sperat fore multos quibus, cum rem totam non didicerint, ita facile persuaserit, atque ita sine pugna vicerit: apud te verò & si qui sint consciæ, satis habet si consequatur id laudis genus, ni causam nossem, putarem vera hunc loqui. At ego aut veritate me tuebor, aut vinci potius volo, quam judicis ignoratione vincere. Quamobrem non imitabor hac sanè parte Brixium, qui versus meos in Abyngdonium (quos per jocum effusiveram, ut cuiusdam asimilatas auriculas demulcerem, quod ei nihil placeret absque consonantiis rhythmicis) in extremo limite insanæ Sylvæ sua collocavit, ademptis duobus epigrammatis

meis in idem argumentū, quibus illorum focus versuum aperiebat. Quare nihil efficere potuit magis sycophanticum. At ego certè contrā faciam. Nam & Chordigeram curabimus excudendam, & epigramata nostra subjungemus. Quin adjiciemus & Sylvam ejus, ne quid causetur ademtum: atque hoc pacto spero me facturum, ne sit arduum atque acclive literatis omnibus iudicare, an tam bonâ habeat causam quam habere se jactat atque gloriatur Brixius. Nam cùm nos perjuros appellasset ac foedistros, cum totam rei seriem in suorum gratiam ac nostrum probrum, ut ipse vocat, fictionibus, ut res verè habet, impudentibus invertisset mendaciam, eademque omnia tam absurdè tractasset, ut nihil unquam quisquam tractaret absurdius, ita versibus obvestivisq; alienis, ut Valerij Probus te putares legere centonas, nisi quod eas illa concinne coaptavit, Brixius ita consarcinat ineptè, ut comissa tanquam cicatricosum vulnus extet in modum, aut velut arida siti tellus hilulcet: ego non aliud illis epigramatis, quibus se queritur tam capitaliter offendit, quam in ea quæ dixi via lusi, & certè nihil opinor acerbè: coque vehementer admiror in quo meorum Epigrammatum reperiatur illas diras atque execrations, quas homo lepidus, ut jactat, convertit in jocos. An illud execrations appellat ac diras, quod in uno meotum epigrammatum per jocum excusans ejus mendacia, quasi nemo redierit è Chordigera domū, qui rem ut erat gesta doceret, eum adjeci dignū fuisse Brixium qui fuisse in ipsa nave, ut suis oculis rem videret quam esset scripturus: ne ad eum modū tam turpiter mentiri cogeretur, & falsa pro veris commendare memorizet? Extra hoc unum certus sum, nihil unquam repeiturum Brixium, in quod possit tendere ullam vel dirarum vel execrations calumniam. Quanquam in hoc ipso aut talumniatur egregiè, aut certè quid execratio, quid diræ significent, egregiè sese declarat insciū. Erit fortasse qui mordaculum putet (& tamen id est si Brixii expenderit parum Chordigeram, spero non difficulter ignoscet) execrations aut diras haud sanè quisquam erit qui vobet, qui quidem Latinè sciet: ut pote ad quas nec illud quidem Martialis nostro tam longè mordacius accedit in Theodorum Vatem, Brixio Vati fortasse non absimilem, de quo Poëta magnum fuisse facinus ac Deorum crimen exclamat, quum Theodori penates ignis absumeret.

Non arlere simul quod domus & dominus. Ego verò, etiam si dignum duxi Brixium, quæ quo vitare tam impudenter mentiendi necessitatem posset, in media fuisse Chordigera: non optavi tamen istud ei, nec ignem imprecatus sum, quem effugerunt etiam multi qui fuerunt in nave. Neque enim quisque itatim imprecatur ea cuilibet, quibus illum censem ac pronuntiat dignum. Nam & Brixius opinor fures dignos ducit suspendio, dignos ducit adulterio, dignos haud dubiè perjuros, à quibus haud ita multis absunt paralangis mendaces: nec tamen reor usq; adeò imitis est, ut iis omnib; tapta nimiri parti mortali, semel impetratur interiū.

Quod

Quod voti genus ut inclemensissimum fuerit, ita nec ipsi fortasse Brixio satis tutum. At præter illud epigramma supersunt novem, quorum in primo (id quod etiam verum est) admoneo simpliciter, ademptum iri Scriptoribus omnibus fidem, si assuelcant ipsius exemplo non ex fide sed ex affectu scribere: duobus in id ludo, quod Herveum fecerit tam prodigiōsē pugnantem: uno jocatus sum in Brixii & jactantiam simul & incogitantiam, qui præter alia multa perquam vehementer absurdā, finxerit Herveum de ipso vaticinantem, velut alumno Phœbi, & ut id fieri posset, fecerit illum in mediis flaminis diu concionantem tanquam in summo otio: porrò quod cum servati sint ex ultraque nave multi, succurrentibus nostrorum naviculis aliquot, ille maluerit universos pro rursus exurere, quam relictum esse quenquam à quo videri potuisse audivisse quæ scribebat: uno allusi ad eos versus, quos Brixius effinxit in cenotaphium Hervei: duobus ad id lusi, quod Brixius Chordigeram suam veterum Poëtarum furto surreptis versibus exornasset: duobus ostendi, me mentis & ingenii pluriculum in Chordigerā cùm in inventione rerum tum in dispositione requirere. Hæc cum scripserim & lacessitus, & turbulentis temporibus, & verè tamen: nunquam vel edidi vel ostendi sola, sed ita conjuncta cum aliis, ut lectoris cogitatio vel plurimū averteretur ab illis, vel non tota certè detineretur in illis: cùm ejus Antimorus contrà nihil prosteatur aliud, quam in meum nomen non minus delira quam contumeliosa convicia. Postremò cùm accepisset id agi ut excuderentur epigrammata mea Basileæ, scis ipse quid egerim, ut ea quæ in Brixium scriptaram, unā cum nonnullis emitterentur: quod quædam mihi non satis severa videbantur etiānsi procul absint ab ea obscenitate, quæ fermè sola quorundam epigrammata video commenda: i quibusdam: & simili neminem volebam quantumvis justa de causa tantillum à me perstringi nominatim. Qua in re, quod ad Brixium attinet, meum conatum frustratum esse vehementer gaudeo; ad eò se declarat dignum, in quem longè alia scriberentur. Nam in illis quibus non minus crebrò inculcat quam falsò, se provocatum prius, & tot probris, tot conviciis, tot maledictis, tot diris, tot execrationibus offensum capitaliter, si ea quæ recenset, invenerit, quanquam ut tum res erant, & illius merita, meum factum potuisse omnium gentium jure defendere: tamen agnoscam profectò Cyclopis illam Poliphemi barbariem, quam mihi Brixius impingit. Quod si contrà non inveherit illuc ea quæ causatur, tunc æquum censeo, ut agnoscat Brixius, eum locum, quo de diris objicit atque execrationibus, ab ipso factum totum, ut esset sedes, in quam Poliphemum vastum sanè gigantem posset admittere: quando ad eò illi tam lepida blandiebatur inventio, ut potius quam cogeretur excludere, fingendum quippiam duxerit, in quod posset aliquid facete dicere. Verum ni cæcior esset ipso Poliphemo Brixius, facile profectò cerneret, eam rem non admodum multum illi parituram gloriæ, si dissimulanter præteriens quod in eum dicitur, alia contra se subornet ipse, quæ commodè possit vincere. Scriptaram epigramma in quandam nostratem, qui ridiculè, cum nobis bellum esset cum Gallis, in Gallicos mores totus abierat. Alio loco quoniam Brixius nos appellarat fœdigragos atque perjuros, tetigeram obiter nostram causam in Gallico bello fuisse piam & officiosam in Ecclesiam Christi, cuius Vicario sumus optulati: Gallorum contrà, quod foverent schismæ, & oppugnarent Pontificem. Quod ipsum neque nunc dispuo rursus, neque olim me volente prædiit. Et tamen si finxisset Brixius (cui tam impensè placet fingere) contumotum illis locis fuisse: scilicet, potuisse homini fortassis ignosci facilius: ut cui videretur imposuisse falsa quædam honesti species, nempe amor importunus in patriam, quo videtur vel verè in eam dicta non perpeti, vel cœriœ fœderibus condonata vendicare. Nunc verò stupidissimè delegit eam causam, in qua & eodem habet obices quos habet illic, nempe ipsum scriptisse prius, præbusse occasionem, impegitse falsa, item esse judicatam, immò peremptam atque abolitam fœderibus publicis. Sed & hoc præterea turpisissimum, quod quum publicè prior læserit, privatim scilicet licet offendit, quomodo non potest docere: sed diras & execrationes in se ingestas ame, ipse à se finxisse convincitur. Quamobrem cùm prior scriperit in nos, eaque etiam falsa, cùm ego tantum epigrammata contrà, in quibus eam scriptissimè, quæ si neget esse vera, nihil assequetur aliud, quam ut eum intelligent omnes, bis fuisse mentitum: non solum potuit honestè desistere, verum debebat etiam. Atque adeò fecisset scio, nisi maluisset omnibus declarare quam insigniter esset impudens: qui quæ peccasset antè, quum donari vel juventæ ejus potuissent, vel imputari temporibus: nunc tot annis elapsis, in tanta pace, in tanta concordia, atque in ipso fermè duorum Principum hospitio (nam id hunc adorant) deintegrò renovet omnia, & epigrammata pauca quæ in illius librum lusimus, vilulentissimo libello retaliat: in quo cùm nihil inveniret quod respondere posset profi, totus in me conversus, nihil effudit aliud præter meras calumnias, & plus quam furiosa convicia. Primum quicquid usquam ferè vel cessatum est ab operis Frobenii, vel ab ipso quisquis exscriptis exemplar, id omne objicit mihi: quum videat, nullum unquam librum tam feliciter excusum esse, ut nihil insit errati, & illuc nullum legat erratorum indicem. Et tamen in illis ipsi plerumque felicius ertatunt illi, quam castigat Brixius. Quam seditiones calumniatur, me lace rare parentem Principis: quam ipse tantum commemorem, quæ mala Princeps dum au spicaretur imperium, incomparabili gloria corre-

coti exerit, quibus aliquot ante annos afflita batur Respublica nonnullorum perfidia, quibus hujus Regis parens nimium credidisset, impat aliquandiu ipse rebus administrandis per adversam valetudinem, alioqui vir omnium regnandi prudentissimus. Et tamen Brixius, quum ea mala quæ aliorum contigere malitia, ipse improbè vertat in Regem, mirum quām virulenter ibi debacchatur in me: ut pugnos, ut collaphos, ut exilia congerit, & tanquam velut carcere stringat metu, ne tam liberè quam libebat liceret excurrere: addidit vipe ras glossas in margine, quibus in ea loca duceretur lector, si quis fortassis parum esset attentus ad carmina. Atque hoc pacto cum demonstret insigniter, nihil sibi ad nocendum desuisse præter vires pares virulentiaz: tamen homo lepidus gloriatur se dixisse facete, dum risum ridet Ajacis. Nam ut is abjudicatis armis insaniens cum appensas verberaret pecudes, effusè risu interim, & earum gemitu mirè plausit sibi, ut cui furor persuaserat, eas Agamemnonem esse atque Ulyssem, in quos cupiebat uelisci: sic Brixius improbum interpre tamentum suum infectans, & ad perniciem usque exagitans, suaviter arridet sibi, dum præmentis inopia non advertit, omnes, imò omnes prouersus homines quibus ulla scintilla aut boni pectoris aut sensus insit communis, in hoc Brixiano risu non minus animum gladiatorium detestari, quam deridere dementiam. Atque hæc quum ita se habeant, tamen tanquam ista Corcebo cuipiam scriberet aut Margitz, non Erasmo, tanquam ipso connivente ad suam pe tulantium, qua prior debacchatus est in nos: omnium simul sic eruisset oculos, ut quod ipsi cernere non liberet, idem nemini prouersus licet aspicere, tanquam jam viciisset, me lacefisse prius, quem res docet posterius scripsisse: tanquam adhuc hostilia durarent tempora, ut ei liceret olim jactata verbula, eademque prouersus innocua, nunc demum venenatis vindicare calumniis, quum uterque Princeps, quum totus utrinque populus ita coaluit in concordiam, ut milites obliuiscantur etiam vulnerum, quorum cicatrices adhuc gestant in corpore: tanquam ipse acerbiter essem inventus, ac di ras omnes imprecatus in illum, tanquam ille vicissim meros locos, meras facetias, meros sales affudisset, ac non infana convicia deblaterasset in me, ac plus quam virulenta deliria: opera preium est videre, ut securus ac certus spondeat sibi, non veniam tantum velut necessariae responsionis, sed laudem etiam clementiaz, qui videlicet impetus diris & execrationibus, (quæ nusquam extant) quum illi fas esset paribus armis in certamen descendere, mira tamen indolis benignitate, atque admirabili dexteritate ingenii, mordere se jactat absque dente, jocari sine calumnia, ridere citra convicium, ludere citra maledictum, commonefacer sine objurgatione, erudire sine ferula: imò adeò mea maledicta in lusus, convicia in risus, probra in jocos, execrationes in Ironias,

diras denique in scommota convertisse. An non videatur bellè perorasse Brixius, si quis hæc forte legat, qui nihil omnino cognoscat de causa? Nam si quis lector inciderit, qui Chodigeram ejus, qui mea Epigrammata, qui moricum ejus Antimoron inspercerit ( si quis forte sic abundet otio, ut ei vacet bonas horas tam male perdere ) quum in illis epigrammatiis meis neque maledicta, neque probra, neque convicia, neque execrationes, neque diras inveniet, quum apud illum contrà nihil inveniet aliud, præter meras sycophanzias, maledicentiam, & vitulenta jurgia: quum dentes videbit, sed fractos in coticula: ferulam videbit, sed absque literis: quum videbit hominem sic admonere, ut stultissime carpat quod non intelligit, sic erudire ut calumnietur improbè si quid intelligat: is quanto risu ridebit eos risus Brixii, qui Brixium reddant ridiculum? quibus scoñata, quæ multo scoñate redeant in authorem? quos ei jocos exhibebit ita jocans Brixius, ut se videre putet saltantem Camelum? quantam præbebit ludendi materiam tam inepè ludens Germanus, ut Germanus videatur Aëlopici aselli, qui non multo minus absurdè imitatus lascivientem caniculam, quam Brixius æmulatur Poëtas, lutosos & corneos pedes impedit in heriles humeros, fultibus inde retrusus in stabulum? Denique quam lepidis Ironiis eludet Ironias Brixii? quippe tam illepidas, ut leto rem admoneant pictoris cujusdam, omnino talis, qualis Brixius est Poëta: qui cum leporem atque canem depinxisset ita similes, ut internosci non possent, tandem uter canis esset, uter lepus, subscriptione solers indicavit. Ita Brixius ejusmodi ferè ludit ironiis, ut misere metuat sibi, ne quas velit accipi per jocum di das laudes, earum plerasque multi agnoscant pro veris: cujus periculi non aliud vidit effugium, quam ut eigarivœ se protestaretur marginali glossemate: nimirum homo cautus ita cavit sibi, ne sua teneretur syngrapha, quasi me laudasset ex animo. Uno loco tantum putavit non necesse esse, ut marginali nota nos admoneret Ironiæ suæ, adeò fidebat ejus loci elegantiaz: quum in indice (ut ille vult videri) meorum erratorum, ut res indicat, calumniæ atque inficiæ suæ meminit. Ridet in Utopia mea dialogum, in quo fraterculus cum mortione disceptat: in quo, inquit Brixius, dialogo enarrando exornandoque Morus ingenii sui acumen, phraseos vim, ac judicij int̄ergratatem facile explicat. Evidem, Erasme doctissime, non usque adeò contemno Brixium, aut mihi tam impensè placeo, quin facile fatear, neque elegantem fraterculorum phrasin, neque acutas morionis argutias, tam bellè unquam me potuisse exprimere, quam ad verum ac vivum potuerit expressisse Brixius. Adeò efficax res est talibus orationis deliciis assu scere, & ad morionem non nomine (quod jam civiliter tam s̄epe Brixius concedit mihi) sed natura ( quo illum suo sibi jure vendicat Antimorus ), accedere. Porro quod de iudicio dicit,

Dicit, quo nimirum significat absurdum esse, barbaram fratum phrasin ei libello inserere, quem cupias esse Latinum (ut omittam inter-  
tim & Græcos Latinis barbaros esse, & Latinos Græcis, quorum sermonem cum laude quoque Romano sermoni Scriptores omnes tam frequenter interfuerunt) non expecto ut, non dico mea oratio (in qua Brixius undique tam manifestarios sollicitos ac barbarismos, sed manifestaria sycophantia, manifestaria deprehendit inscitia) sed nec ipsius Brixii (cui Veneres omnes atque omnes proflus Gratias putat affusas Brixius) ad Latinitatem aliquando sit perversa Plautinam : qui nec absurdè tamen sibi facere visus est, nec Romanum sermonem de honestate, quum in comedie Latina Poenum interdum ficeret loquentem punice. A quo exemplo non multum opinor abest, si quis in eo scripti genere quod propè accedit ad Comicum fratrem, id genus producat in proscenium lingua loquentem sua, hoc est Latino-barbara. Et tamen scis ipse, mi Erasme, quām non valde mihi placuerit ille dialogus, quamque libenter fuerim omissurus, nisi suprà quam dico placuisse illis, quos neque literis neque iudicio quisquam (qui quidem literas habeat ac judicium) non tam longè anteponat Brixio,

*Quantus ad ethereum patet hinc suspectus olympum.*

Quorum aliquos hic quoque commemorarem, nisi quid & frustra commemorarem conscio, & non est animus viros cùm honestos tum etiam honorabiles obsecere, invidissimi viri latribus; qui aliena laude sic intabescit, ut plane pereundum homini fuerit, nisi aliquid rabiei suæ ablaterasset in beatum Rhenanum: æmulatus Æschinis odium, à cuius eruditione non minus abest, quām ego absum à Demosthenis, cuius gloria invidet Æschines, ut Ctesiphonem quoque, quia laudaverat, accusaret publicè, & ei machinaretur exilium, quod meritò mox in ipsum recidit. Ita quoniam epigramata mea Rhenanus Bilibaldo, doctissimus doctissimo, atque optimus optimo laudatione sua commendavit: mirum quām insanit Brixius, quām virulent oanimo, quām infirmis viribus hebetem plumbei gladii cuspidem stringit in Rhenanum: adulatorem vocat, aut visi hoc agnoscat insciuum, indoctum, ac plane cæcum, qui non viderit meos versus tales esse, quales visi sunt per invidiæ conspicilia pavidenti Brixio. Sed frustra involat in Elephantem eulex. Nam Brixius cuiusmodi sit, declarat ipse. Rhenanum laudare ego nec, ut nunc res habet, volo, ne illud audiā. Mutuò muli scabunt: nec certè si vellem, satis possem, ut quo (quod omnes norunt, factentur, ac prædicant) tot felicium ingeniorum ferax Germania nihil habeat, si linguam species elegantius, si disciplinas eruditius, si mores melius. Verum demiror hercle, cur in unum surit Rhenanum Brixius. An ejus unius iudicium de meis studiis dissentit à Brixio? Quasi nihil ho-

norificè de me scripsissent (ut omittam te, ac Petrum Ægidium, quibus videri possit amor non nihil imponere) Buslidius, Huttenus, Paludanus, Noviomagus, Vives, Graphæus, Zanus, ac Budæus: quibus cum eo tempore adeò non amicitia contracta est ulla, ut nec litera quidem ulla intercesserit: at neque cum ipso Rhenano, ut omittam plurimos eruditio non in celebres. Quasi Brixius singat hos omnes adulari mihi, multum ei debo, qui tam magnum virum me facit. Sin cæcos, inscios atque indoctos omnes pronunciet, quoniam sic ab ipso dissentiant, ut quem ille toties stultum vocat, toties appellat insanum, ei (ut nihil recenseam amplius) aliquanto certè plusculum tribuant prudentiæ, quām adhuc audio, præter Brixium, quenquam tribuisse Brixio: nemo ei tam absolute potestate dictaturam detulit, ut ejus unius sententiam iteratam esse oporteat, quin ad populum saltem superfit provocatio. Nam quòd hoc ita molestè fert, quòd Rhenanus epigramata mea Marulli & Pontani prætulerit, debebat aliquanto pressius Rhenani laudationes expendere: qui etsi multo mihi tribuit amplius quām meus pudor possit agnoscere, tamen ea parte qua potissimum Brixius offenditur, non adeò effusus est in laudes meas, ut Brixius invidere debuerit. Neque enim me Pontano aut Marullo undecunque præfert Rhenanus, aut confert: natura tantum comparat, non Græcarum literarum peritia, ne sit opus, ut ita stomachetur Brixius Græco conferri Britannum. Etenim natura quid impedit etiam Græco parem quempiam vervecum in patria crastioque sub aere nasci? Quanquam ipse neque tam superbus sum, neque tam neoscius mei, ut quæ mihi tribuit Beatus Rhenanus agnoscam: qui me, quod dixi, talibus viris natura confert, utilitate verò præfert haec tenus, ut censes plus frugis adferre lectoribus, si quid affero salubrium sententiarum, quām quicquid illi chartis illinant obsecnitatis ac nequit: ac plus juvare putat quæ simpliciter ac aperte cano, quām Marulli delectant ænigmata. Quia in re quid aliud Rhenanus, quām si quid est virtutis in me, id illorum præfert vitiis? quod laudis genus quum nihil obstat, quo minus eorum virtutes meis possint (ut certè faciunt) longè antecellere, non debuit ad invidiam usque videri benignum: quum interim (ut præteream reliquos) Budæus unus, vir non minus publicæ rei peritus quām literariæ (in qua plane principatum quendam obtinet) quæ de me scripti, ejusmodi sint, quæ sicut nunc hominis candidissimi civilitati tribuo, non aliter quæ in Brixii Chordigeram præfatur eruditissimus Aleander, ita longè magis optem esse vera, quām Pontanum aut Marullum superare carmine, aut utrumque simul utraque lingua vincere. Et tamen mirum est, quām subito mutatus Brixius incumbit in famæ meæ curam etiam ipse, utpote cujus non nisi favore ac studio tot erratorum meorum me tot nullum, tam pudendorum,

amicè, benevolè, fideliter cōmonefecerit, videlicet ut ipsius opera subducantur clanculum, quæ circumferri diutius absque insigni tradu-  
cione mea ac perpetua quadam ignorantia  
neta non poterant: quo nomine censet tantum  
etiam debere me tam amicæ ejus industria, quantum alteri quisquam debere possit. Hoc  
tam elegans ac bellum schema tam vehemen-  
ter arrisit Brixio, ut quod nemo non irrisit, quū  
legeretur in Antimoro, nunc velut repetit: scrio  
oblitus interim illorum versuum, quibus iniro  
ingenio cōminiscitur, qua arte nunc verisimile  
sit me tantæ mederi infamia, nempe hac, ut o-  
mnes libros qui jam excusi sunt usquam, cu-  
rem undique reportatos ad me, atque ita repur-  
gatos post emittam denuò. Et tamen hoc  
ipsum ita veretur Brixius, ne videlicet emissis  
in omnes undique terras plus quingentis Lega-  
tis, omnia exemplaria recipiam, ut minetur se  
factorum, ut apud se atque aliquot etiam alios  
(quou nisi emissis in id vicissim legatis difficile  
opinor fuerit) corrupta exemplaria extent,  
quaæ meos errores (quorum nunc id me admonet  
ut tollantur clanculum, ne quis post hac pos-  
sit exprobrare) sic omnibus essent exhibitura,  
ut nec Oceani fluctus omnes sordes mihi pos-  
sint abluere. Ejusdem vel memoriae vel con-  
stantiae etiam illud est, quod cum in ista episto-  
la ad te ueget Antimorum suam dentatam esse,  
ut in qua mordeat sine dente: tamen in hende-  
casyllabis (quos ita bellè concinnat, ut in unum  
versum interdum syllabas intrudat tredecim) ait  
suos elegos se meo cruro oblinere. Et plu-  
nè quemadmodum non minus ridiculè Poëtas  
imitatur, quam hominem simia, nec minus in-  
epte dissimulat, quam aut mugil, aut cuniculus,  
qui simulat que caput in glebam condiderit, to-  
tum corpus satis occultatum putat: ita nullus lu-  
pus unquam fuit deteriore memoria, nulla plu-  
ma, nullus ventus magis constanter incontans.  
Jam quod ait, se tuo consilio fuisse pariturus,  
nisi liber jam tum fuisse in manibus Typogra-  
phi: demiror admodum, quum tantam vim  
obtineat apud illum vel solus nutus Erasmicus,  
tam leve potius habuisse monitoriam episto-  
lam, ut potius suam famam pergeret infamare  
tam furioso libello, praesertim litigiosus glo-  
ria, quam perderet pauxillum pecunia, homo  
cui (ut ipsius verbis utar) non vixtus aut ve-  
stitus modò, sed famulitum quoque atque e-  
quitatus insuper, & crumena denique semper  
ære gravis abundet, cui domus sint & hortuli,  
in quos Apollo ac Musæ omnes (nisi Brixius  
pesulum obdat hostio) cupiant relicto Parnas-  
so prorsus immigrare. Et tamen miror, si tibi  
fuissest pariturus, qui re adhuc integræ, toties  
admonitus, neque Budzo, neque Baraldo, ne-  
que Lascari, neque Deloino parere voluit, ne-  
que reverendissimo Cardinali qui nuper obiit  
in Gallia. Cæterum ut bonitatis fuisse judicat  
quod Antimori dehortareris editionem, ita nisi  
probaris editam, planè jam te censet injustum:  
qui aliud jus illi nunc dicas in me, aliud in Fa-

brum olim statueristibi. Nec dubito quin sibi  
videatur acutus admodum Brixius, & peritus  
judiciorum, qui te tam gravi stringat præjudi-  
cio, ut ni videri velis injustus, adversus eum  
pronuntiare non possis. Ego, mi Erasme  
(quod sicuti apud omnes profiteor, sic apud  
neminem libertius profiteor quam apud te,  
cujus animum hac sanè parte compcri penitus  
conspirare cum meo) Jacobum Fabrum sic  
observe, suspicio, veneror, quomodo virtutem  
debeo, quo non aliquot ante sculis extitit  
quisquam literis ac virtute venerabilior: qui  
an plus adnisi sit, ut præter sacrarum literarum  
studium, in quibus illustrandis utiliter est ver-  
satus, scholas aliquando ab inepta ista garruli-  
tate atque absurdis argutiis ad sobriam ac seve-  
ram Philosophiam atque ad neglectas jamdiu  
disciplinas traduceret, ambigo. Quæ res adeò  
in confessu est, ut ii quoque perquam honorifi-  
cis calculis illi attestentur in summa, qui ab eo  
longissime in uno atque altero interdum dico  
discentiunt; nec alia re provocati tamen, quam  
quod Faber quædam, ut videtur multis, quæ dicta  
ac disputata moderatius offendissent nemini-  
nem, nimis aliquanto fortiter asseveret, ac ma-  
jore quam par sit contentione definit: ita bo-  
nos viros plerumque longius prius quidam fer-  
vor abducit. Verum quam nihil habeat simi-  
le tua defensio cum istac absurdissima querela  
Brixii, nemini potest esse dubium, nisi cui res  
prorsus erit ignota. Quamobrem consilium  
non est, hunc explicare locum, & causam cum  
causa, libellos cum libellis conferre, quæsi non  
aliter patere possit, neque in initio quicquam,  
neque in toto rei progressu, Brixii vesaniam  
cum tuo facto congruere: ne vel rem carissi-  
mam facere controversam puter, vel sotpunit  
atque obrutum ignem importunè videar suis  
eruisse ciseribus, vel Fabrum, quem toto colo-  
pectore, aliquæ cogar offendere, vel tuum judi-  
cium apud quem nunc causam dico, tentare  
credas, & favorem conciliare blanditiis. Hoc  
unum certè (nisi quod ludere se posuit pro fu-  
rere) alioqui dicit non omnino falsum, te vide-  
licet cominus pugnasse quum ipse rem egerit  
eminus. Nam ut tu rem non gladio quidem  
utrait Brixius, (quæ te videtur gladiatorem fin-  
gere) sed acu prorsus attigisti, ita ille deliris  
tantum velitatus eminus, & ejaculatus conuicia,  
quaæ vel anus ebria effutire potuisset in quemlibet,  
& quaæ in ipsum commode competebant  
plurima: ad rem inquam profectò quivit ac-  
cedere, aut si fors atringet aliquando breviter,  
tum quemadmodum solet in duriore solo infir-  
mis viribus emissum telum, protinus aut præ-  
tervolavit, aut excidit. Itaque eminus sic com-  
missa pugna haec tenus planè prosecit, ut edide-  
rit specimen, posse quidem sagittam fese non  
incommode prorsus emittere, si quis tantum  
quem in locum ejus sagitta cediderit, eò sco-  
pum semper officiosè transferat? & bille posse  
jurgari, si quem nactus eset in quem illa com-  
petenter, quaæ ipse ex inexhausto proborum  
suerum

fvorum putes posset hancire: quibus quando  
 deest in quem hæciant, quid aliud interim  
 quam ipse perfundit se? Verùm aliquando  
 tandem velut tuis literis permotus incipit esse  
 placator, ac si mihi videatur posteaquam uter-  
 que in proscenium prodit, ut ait, personatus  
 (sic enim prodire solebant pugnaturi) ac suas  
 pro virili partis egisse visus est: ego videlicet  
 epigrammati aliquot, Brixius integris volumi-  
 nibus: ego provocantis, ille respondentis  
 (nam hoc ne quis alioqui non credit, accura-  
 te repetit) non recusat tandem quo minus  
 dextris invicem juncit Erasmo patre patrato  
 (qui mos olim fuit peculiaris histrionibus)  
 feriamus foedus, præsertim cum tu me sentias  
 illius amore dignissimum. Cæterum ne pax  
 tam facile impetrata fieret aliquanto contem-  
 ptior, aut mihi inde surgerent crista, ita rem  
 temperavit, nulquam suæ majestatis imme-  
 mor, ut si stragœdia ipsius exitum spectare ma-  
 lim, nihil item moretur, quo minus ea ad po-  
 stremam usque actum dederat: utpote cui  
 mea hypocrisia non sit tam admirabilis, ut illum  
 à proscenio deterreat, nec vires item usque ad eum  
 formidabiles, ut si manus conferre voluerim,  
 detrectare debeat, modò meis, non ut Patro-  
 clus Achilis, armis concertatus in palæstram  
 descendam, & ante conflictum insonet tuba: i  
 ut miris artibus istam confliktatiunculam (qua  
 fermè duntaxat ipse pugnat secum) exornet  
 Brixius, atque *ἀποεμμένει*. Nam velut histriones  
 nos committit, comedicos, tragicos, palæ-  
 stritas, bellatores: & mirum est quanto cum  
 artificio hæc inter se tam diversa commisceat,  
 quam concinna pugnantibus aptat personas,  
 nimis scenicis arma, & adhibito patre patrato  
 inter imperatores histriones feriat foedera, ut  
 dimicantes producit in proscenium, bellatores  
 in palæstram: denique scita *ἐπιμονή* tam belle  
 persistit in Metaphora, ut in tribus sere versi-  
 bus conficiat nobis comico-tragico-polemon.  
 Quod ad hoc foedus attinet, Erasme charissi-  
 me, noli laborare: neque enim tam ingens in-  
 stat rei literariæ periculum, si congregantur  
 hinc Morus homuncio perpusillus, hinc gene-  
 rosa illa palma, palma non aliter una Brixius,  
 ut Erasmo sit opus patre patrato qui faciat pa-  
 cem: nisi literarum Proceres similiter affectos  
 reddat hujus duelli cura, quomodo apud Homerum  
 sollicitos habet superös Giganteo bello  
 formidabilius illa *βαργαχομομάχια*. Nam  
 quod me scribis esse illius amore dignissimum,  
 tuam bonitatem agnosco, qui undique studes  
 paci. Verùm ego, mi Erasme, me tam dignor  
 honore ut inter amicos satrapis tam potentis  
 adnumerer, cuius nunc ut cunque respondi An-  
 timoro, non sat fortasse reverenter pro tanta  
 viri dignatione: sed pro re certe, ut censem alii,  
 nimis aliquanto modestè: tu verò, mi Erasme,  
 quid sentias, cupio scire. Nam quod tam pro-  
 pere curavi excudenda quæ scripsi, quæ tutius  
 foitasse fuerat per otium polire, præsertim  
 objicienda tam oculato æmulo, ut & ibi cer-  
 nat mendum, ubi mendum non est: malui ei  
 ossa multa relinquere, in quibus exerceat den-  
 tes, fatiget, aut frangat denique, quam mihi  
 diu talibus nugis occupare pectus. Et pro-  
 fectò non fauiss tam insanum libellum re-  
 sponsò dignatus ullo, ni mihi visum esset  
 amicorum quorundam obsecundare consiliis,  
 suadentium, ut me tuerer adversus hominis ab-  
 surdissimas calumnias. Quæ res una mihi  
 scopus fuit non commutare convicia, ac paria  
 vicissim in illum spargere: alioqui si statuisset  
 non respiciendum potius quid me deceret di-  
 cere, quam quid illum conveniebat audire,  
 quantumvis magnificè meum contemnet stylum  
 Brixius, tanquam imbellē, enerveis, ni-  
 hilque masculum, effecissem saltem ut intelli-  
 geret quam verus sit ille Nasoris versus,  
*In causa facilis trivis licet esse disertum.*  
 Nunc verò quum ille non in ingenium tantum  
 ac mores meos debacchatus sit, verum etiam in  
 perniciem meam, quoad ejus fieri potuit, sit  
 grassatus, in literis verò nihil intactum reliquerit,  
 quod non arroferit: ego contrà nihil illius  
 attigi præter illa ipsa volumina, quibus aut  
 ipse petor, aut patria. In universum verò  
 quid præstare possit, neque pronuntio, ne-  
 que excutio. Scio enim, quam leve pondus  
 habiturum sit de illo judicium meum, quod  
 tamen etiam magis benignum est in illum,  
 quam sit multorum quos ille minus offendit.  
 Verùm enim verò neminem adhuc audio tam  
 candido calculo suffragantem Brixio, ut non  
 idem sentiat, nihil haec tenus ab eo prodicisse  
 tam magnificum, quod respondere possit ho-  
 minis jactabundi gloriolis, dum nunc jactat;  
 idem esse Poëticen sibi, quod *πειλονηπωφ*, hoc  
 est, quo suum cāmpum: nunc se gloriat  
 cum antiquitate certare, nunc ipsam clavam  
 vi eripere Herculi, dum fulmen denique satis  
 impudenter se minitatur efflaturum. Has  
 hominis glorias alii quoties cum ejus conser-  
 runt poëmatiis ingenium, consent non insanum  
 tantum, sed etiam insanabile. Ego verò quan-  
 quam Brixius in me tam atrocem nonmodò  
 judicem, sed & augurēm quoque præbeat se, ut  
 non solum quicquid haec tenus unquam scri-  
 psi, damnet, verum etiam pronuntiet nihil  
 posthac scripturum quod possit esse dignum le-  
 cta: tamen mitius aliquando de illo sentio,  
 conjecturam potissimum cū ex Chordigera  
 faciens, tum ex Antimoro quam in me scriptis  
 iratus, quando vel hoc ipsum mihi spem adhuc  
 aliquam facit, austera illam indolem posse a-  
 liquando matescere, quod cum tam inepta scri-  
 bat nunc id ætatis habens, hominem esse vi-  
 deo, non tam præcocius ingenii, qđin adhuc  
 durare possit ac matescere alioqui. Planè si  
 sentirem, ad statum jam ac robur pervenisse,  
 atque, ut Græci vocant, *ἀριψτην*, aliud expecta-  
 re non possem, quam ut cujus Ver lethargus est,  
 Ætas ira tam impotens, ejus Autumnus sit  
 omnitino furor. Jam quod meam hypocrisia  
 negat esse tam admirabilem, ut cum ē  
 proscenio deterreat, fateor certe nil nec  
 habere me, nec præ me ferre quod absterreas

quenquam: neque negare possum, quin hypocrisis Brixii tantum terroris invehat secum, ut non modò me homuncionem pavidulam, & quem facilè terruerit personæ pallentis imago, sed spectatores omnes prorsus è theatro possit spectris expavescatos abigere: si modò veri sint ii versus Brixii, q. os in Antimorum μωγίχες μωγίτρες inferuit:

*Hac mihi dictanti astabant dira auribus omnes  
Et Furie, infernis concuta turba vadis,  
Alecto, & sacris caput irretita colubris  
Tisiphone, & terrens ore Megeratruci.*

Quod si personas istas plus satis tragicas depo-nat Brixius, certè reliqua hominis hypocrisis non habet quicquam tam admirabile, ut velut Medusæ caput quemquam reddat attonitum: neque vires ejus exerior tam formidolosas, ut aut Patroclo aut Thersites certè, præsidium petendum sit ab Achillis armis adversus He-ctorem talem. Sin Brixio penitus decretum est, facitias illas Furias verum furorem suum proferre in proscenium secum, si certum est illi totis intonare tonitribus, si fulmen illud ter-ribicum vibrare statuit, quod sibi ab ore jactat cadere quoties secum videlicet offensus gravius dignas Jove concipit iras: histrionicam suam solus per me licebit exercitat, ago adversus tam ominosa spectra silentio meinet velut amuleto lustrabo. Existet tamen fortassis Her-cules aliquis ἀλεξινός, qui suetus ejusmodi portenta subigere, clavam quam ei Brixius vi eripuit, vicissim eripiāt Brixio, ferula nimirum armatus aut flagro. Nam adversus τὴν τὴν Βε-ξίας Βροντὴν non dubitavit *vel σημάδες ἀνταναγθέειν*. Porrò fluminis præstigium bellè compelcat Cacus, talium terriculamentorum peritus artifex: qui si minus calleret artem, ta-men quibus armis utendum Caco fuerat ad-versus tale fulmen, ipsius Caci nomen admone-ret. Etenim potius quam fulminis afflatus miseri mortales perierint, in os illud patulum trisul-co hiulcans fulmine, non tantum me ire fas est. Spero mi Erasme fore, ut te in Regum con-ventu simus visuri Caleti, qui venturus haud du-biè sis utrique Regum gratissimus: alioqui fu-erit impudens, si nos amiculi tui vel exigamus vel expectemus ut nostra causa subeas laborem tanti itineris, quorū potius officium fuerit ad te venire: id, quod ni te illuc Regum cura per-traxerit, à Principe imperata in dies aliquot venia faciemus. Tu interea mi Erasme vale, ac nihilominus quam soles amicus Brixio, Morum simul qua soles charitate complectere: cui tu tanq̄ charus es, ut nec ipse sibi sit charior. Lupsetus noster magno auditorio summa cum laude sua, nec minore Scholasticorum fruge bonas literas in utraque lingua profitetur Oxoniæ. Successit enim Joanni Clementi meo: nam is se totum addixit rei Medicæ, nemini aliquando cessurus, nisi hominem (quod ab-minor) hominibus inviderint Parcæ. Iterum vale: ac meo nomine Dorpio, Nefeno, Vive-ti, viris in re literaria primariis, salutem pluri-mam nuntia.

## III.

# THOMAS MORUS


## ERASMO ROTERODAMO SUQ S. D.

POSTEA quam à nobis digressus es, Erasme carissime, ter omnino literas abs te recepi. Si toties dicam rescripsiſſe, fidem fortasse mihi non es habiturus, etiamſi ſanctissimè mentiar: præſertim cum ipſe me tam probè noſcas, & ad ſcribendas epiftolas pigrum, neque tam ſuperftitiosè ve-racem, ut mendaciolum uſquequaque velut parricidium abominer. Paceus nolter iſthic legatione fungitur, quanquam non prorsus iſthic: ita enim abeft à nobis, ut tamen non adſitibi. Per literas enim nobisſcum ei licet loqui, præſentem verò nec tecum; Utinam te bene geſta brevi redeat domum, ut dimidia ſal-tum mei pars mecum vivat. Nam te quando liceat expeſtare non video, cui animus eſt Ita-liam petere, ubi in eos incides, qui vereor ut te patiantur avelli. Ego interim videor mihi dimidio carere, dum abeft ille: altero dimidio, dum tu. Spero propediem fore ut illi egregia aliqua dignaque illo viro fortuna con-tingat. Ita plane ſentio, & Regis animum, & Cardinalis voluntatem, & bonorum prorsus omnium ſtudia, in eum ornandum evehendumque propendere. De te verò niſi mea ſpes tam ſæpe uſtraretur, etiam multo majora ſperarem. Quanquam nunc quoque bene ſperare quid vetat? Neque enim quia parum proceſſit haec tenus, ideo futuri quoque ſpes adempta eſt: imò nunc maxime confido. Ne-que eadem perpetuò cuiquam eſt fortuna, ne-que diutius potest eſſe maligna tibi, cui Poati-fex, Reges, Episcopi, omnes propè mortales, quaquaversus orbis patet Christianus, impen-dio favent ac demirantur. Apud nos quo in te animo ſint Episcopi, & ſeorsum Cantuariensis, tum Princeps ipſe quo te favore complecti-tur, ſupervacaneum foret commemorare. At quod haec tenus nullum in te beneficium aut te dignum, aut tam magno tantorum amore virorum provenerit: partim tute, qui neglexeris ea quæ ambiunt alii, partim neſcio quæ fortuna fuit in cauſa: veluti nunc quoque accidit de illo Canonicatu, quem vocant, Tornacensi: quem dominus Montiojus obtinuerat tibi, videris nunc ab eo non abhorre. Scribis enim, omnia te miſiffe instrumenta Montiojo, quæ ad eum tibi conferendum viderentur idonea. At ego, ſi meminiſti, cum eſſes mecum Bru-gis, ea de re sermonem habui tecum, in quo tu enumeratis omnibus ejus beneficiiū commodiſſ & incoſmodiſſ item, alieno eſſe ani-mo videbare; nec id celasti Sampſonem, qui ſe Tornaci gerit Eboracensis episcopi vicarium.

In quam sententiam non hoc te solum impellebat, quod verebare ne non esset tibi perpetuus, nisi alterius etiam Episcopi consensus accessisset, à quo non expectabas, ut illius factum haberet ratum, cuius omnia facta conatur infringere: sed illud quoque quod præterquam quod propemodum decem libræ nostrates illicò tibi in primo erant ingressu numerandas, domus præterea duecentis nobilibus, aut pluris etiam redimenda: ea est ibi confuetudo, cui nisi parueris, vix sex nobiles annuos consequeris, at nec illos quidem, quantum acceperis, nisi ibi perpetuò degas. His tu rationibus adductus, mihi ac Sampsoni videbare illum Canonicatum non admissurus. Paulo postea quām tu à me discesseras, ego Tornacum concessi: ibi à domino Montijo atque item à Sampsoni audivi, Archiepiscopum Eboracensem utrius eorum scripsisse, ut id beneficium donaretur alii, cui (ut videbatur) fuerat pollicitus, quum ignoraret tibi fuisse destinatum. Hoc ego quum audivi, dissimulato quod intellexi, beneficium animo non admodum respondere tuo, sicut ut reclaimerent tibi esse concessum: remque in eo esse statu, ut matari non posset, nisi tibi de meliore fortuna prius esset provisum. Relripsit Eboracensis, eum locum haud quamquam fore idoneum tibi, quod & præsenti parum esset locuples, & nihil adferret absenti, se sponsorem acciperent melioris tibi conferendi: ita quum ego aderam, nec me certè dissuadente, decreverant illud beneficium ei donare, cui volebat Episcopus. Quid sit factum postea, nescio. Verum hoc scio, nisi illud habes, Cardinalem & pinguius tibi debere, & brevi spero persoluturum. Amicissimam sæpe de te mentionem injicit, Pensionem tuam non erat opus ut ego ab Episcopo exigerem: ipse enim ex semet memor, priusquam meas accepistet literas, egerat de ea re cum Maruffo, cuius ad hæc (ut scis) negotia opera semper utitur, interim etiam pecunia, quoad collata ratione, statis temporibus, paria inter se faciat. Verum protinus habitis literis meis (nam verlabatur Otfordia) iterum hominem extimulat per epistolam, ut viginti libras nostrates celeriter ad te transmitteret, pollicitus eas Maruffo redditurum se: ubi primum ex tuo chirographo cognovisset eas ad te esse perlatas. Conveni Maruffum; ipse ait se scripturum tibi, ut chirographum properes ad se mittere, quo te testeris accepisse pecuniam, quo ad Episcopum delato, nummos ea velut occasione sibi numeratos, tum demum ad te curaret perferendos. Ego quum hæc audiarem, veritus sum aliquid subesse periculi, ne si pecunia jam tum non solveretur ei, ea mora vicissim derivaretur in te. Ergo non est inquam hac simulatione opus: aut pecuniam illicò mitte, Episcopi nomine ac fide: aut si nisi prius receptum graveris impendere, efficiam protinus, ut in manu habeas: Imò, inquit ille, nihil est quod metuas. Nam sic agam, ut Erasmo statim hæc pecunia adsit; quin jana nunc quoque adest. Nam habet à me chirographum, quo posuit ubi volet ducatos mille confidere: è quibus quicquid acceperit, debet hoc mihi, sic enim inter nos convenit, ex hac pensione resolvi. Hæc ille dicit. Ego vix credo, nisi collata prius in ejus mensam pecunia, ullas eum literas tibi pro conficienda pecunia tradidisse. Quare si res secus habet, quām dicit, effice maturè, ut intelligam. Archiepiscopus Cantuariensis officio Cancellarii, cuius onus jā aliquot, ut scis, annos, mirum quām laborabat excutere, tandem exolutus est; ac desideratum jam diu secretum nactus, gratissimo inter literas otio, ac negotiorum bene ab se gestorum recordatione perfruitur. Princeps ei Cardinalem suffecit Eboracensem, qui ita se gerit, ut spem quoque omnium, quanquam pro reliquis ejus virtutibus maximam, longè tamen exuperet, & (quod est difficilimum) etiam post optimum decessorem, valde probetur ac placeat. Nostra legatio (quoniam hæc quoque tibi curæ est, ut mea omnia) satis feliciter processit, nisi quod longiore tractu, quām aut speravi, aut volui, res protelata est. Etenim quum domo discedens, vix bimestrem absentiam expectaverim, ultra sex menses in ea legatione contrivi. Verum longam tandem moram exitus satis gratus est inlequutus. Ergo ubi negotium, quam obrem ipse veneram, ad finem vidi perductum, & alia tamen rursus ex aliis nasci, quæ longioris moræ viderentur initia (neque enim unquam inter principes defunt) datis ad Cardinalem literis, redeundi veniam impetravi mihi: usus ad eam rem, cum cæterorum amicorum opera, tum præcipue Pacei, neque enim adhuc abierat. Sed dum redeo, Gravelinii subito occurri, idque tam properè festinanti, ut vix ei liceret, dum nos mutuò salutaremus, subsistere. Tonstallus jam nuperrimè reversus, dies vix decem hic moratus, nec ullo tamen eorum pro suo arbitrio suaviter acto, sed omni eo tempore anxiè atque odiosè consumpto, in earum expositione rerum, quas legatus in mandatis habuerat: ecce rursus eodem subito nova legatione retruditur, idque certè scio, si negare liceret, invitissimus. Mihi nunquam admodum Legati munus arrisit. Neque videtur perinde nobis laicis quām sacerdotibus convenire nobis, qui primum uxores ac liberos, aut domi non habetis, aut ubique reperiatis. Nos sicuti paululum absimus, conjugum protinus ac sobolis desiderio revocamur. Deinde sacerdos quum emititur, totam familiam potest ubi velit circumducere, & regiis interim expensis pascere, quos domi pasturus erat suis. At mihi absenti, duplex alenda familia: altera domi, altera peregrinè. Commeatus mihi satis benignè dabatur à Rege, pro eorum numero, quos eduxi tecum: verum eorum, quos interim necesse fuit domi relinquere, nulla est habita ratio: à quibus ego (quanquam scis, quām clemens maritus, quām indulgens pater, quām mitis dominus) tamen ne tantum quidem quivii impetrare, ut mea causa tan-

tisper quoad domum redirem, jejunii persistebant. Postremò sacerdotibus laborum atq; impensarum gratiam autoramentis ecclesiasticis proclive est principibus sine ullo sumptu suo rependere. Nobis neque tam laute, neque tam facile prospicitur: quamquam mihi revertenti penso annua ab R. ge decreta est, eaque planè, seu quis honorem spectet, seu fructum, nemquam contemnenda: quam ego tamen hactenus recusavi, videorque mihi perpetuò recusaturus: quod ea susceptra, præsens hæc mea in urbe conditio, quam ego etiam meliori antepono, aut mihi foret relinquenda, aut, quod minimè vellem, cum aliqua civium offensione retinenda: quibus si qua cum principe, quod nonnumquam accidit, oriaretur de privilegiis questio, minus me sincerum ac sibi fidum ducerent, tanquam annuis principi mercedibus obstrictum. Cæterum in illa mea legatione, quædam me impendio delectarunt, Primum tam longum ac tam perpetuum Tonstalli contubernium, quo ut nemo est omnibus bonis literis instrutor, nemo vita moribus que severior, ita nemo est usquam in convicu jucundior. Deinde quod cum Buslidiano mihi intercessit amicitia, qui me & pro egregia fortuna sua magnificè, & pro animi bonitate comiter recepit. Domum tam singulari artificio excultam, tam eximia supellecile instrumentam ostendit: ad hæc tot vetustatis monumenta, quorum me scis esse percupidum: Postremò tam egregie refertam Bibliothecam, & ipsius pectus quavis etiam Bibliotheca referens, ut me planè obstupefecerit. Eum audio jam nunc ad principem nostrum legatione fundaturum. Sed in tota peregrinatione mea nihil mihi contigit optatus, quam Petri Aegidii Antverpiensis hospitis cui consuetudo, hominis tam docti, faceti, modesti, ac verè amici, ut peream nisi ejus unius convictum libenter mihi velim bona mearum fortunarum parte redimere. Is ad me misit Apologiam tuam, & commentarios item in psalmum illum, *Beatus vir*, quot tu beato Rhenano, vel tanto ac tam perpetuo amici monumento verè beato, dedicasti. Dorpius epistolam suam imprimendam curavit, & Apologiaz tuaz præponendam. Illum optaveram, si qua incidisset occasio, convenire. Id quando non licuit, per epistolam saltem salutavi, imò per epistolium quoddam Laconicum, nam longiori non suffpetebat tempus: at insalutatum præterire non potui hominem, qui mihi mirum in modum, cùm ob eximiam eruditio nem, tum multis etiam aliis nominibus placet, nec ideo in postremis, quod taxata Moria, scribendas tibi Apologiaz præbuit occasionem. Gaudeo Hieronymum, ac Novum Testamentum tam bene procedere: mirum est quanto undique desiderio expectantur ab omnibus. Linacer, mihi crede Erasme, dete & optimè sentit, & ubique loquitur: id quod ego nuper ab his accepi, qui ei amantissime atque effusissime apud Regem in Cœna de te loquenti af-

suere: quo in sermone Rex ea vicissim respondebat, ut hi qui mihi retulerunt opinionem placere conceperint force, ut brevi aliquid egregia in te fortunæ conferatur: quod ego superios precor ut ratum esse velint. Vale Erasme carissime, & Rhetorium ac Lystrum meo nomine saluta, quos ego & tua prædicatione, & ipsorum scriptis, & cariores habeo, & penitus etiam notos, quam multos ex his quibuscum versor quotidie. Uxor mea te salutat, & item Clemens, qui literis & Latinis & Græcis ita proficit indies, ut non exiguum de eo spem concipiám, futurum cum aliquando & patriæ & literis ornamento. Iterum vale, atque his unis literis in multis mensis esto contentus: quibus avaros sum imitatus, qui quod raro quenquam invitant, si quando ad cœnam vocant, prolixissime convivium instruunt, ut una cœna quotidianum sumptum invitandi effugiant. Jam tertio vale. Episcopus Dunelmensis inscriptionem Senecæ gratissimam habuit. Vide quam te libenter imiter, qui tibi nunc iterum ut tu nuper mihi aliena manu scribo, tam certus imitator, ut ne hoc quidem meapte manu fuerim ascripturus, nisi ut certum tibi facerem literas has meas esse.



## IV.

THOMAS MORUS  
PETRO AEGIDIO

suo.

**M**I Charissime Petre salve. Milere cupio, ecquid tu convalescas intelligere, quæ res non minori mihi curæ est, quam quidvis mei: Itaque & inquiri diligenter, & omnes omnium voces excipio sollicitus. Aliquot mihi meliores de te spes renuntiarunt, seu (quod opto) compertas, sive ut desideriis meis inferiant. Scripti literas Erasmo nostro, eas tibi apertas mitto, signabis ipse. Nihil opus est quod illi scribitur clausum ad te venire. Versiculos, quos in tabellam tam inscite feci, quam illa scite depicta est, ad te prescripti. Tu si digna videbundur, Erasmo imperti, alioqui Vulcano dedas. Vale sexto Octobris.

*Persus in tabulam duplarem, in qua Erasmus ac Petrus Aegidius simul erant expressi per egregium artificem Quintinum, sic ut apud Erasmum exordientem paraphras in epistolam ad Romanos, picti libri titulos preferrent suos, & Petrus epistolam teneret. Mori manus inscriptam ipsi, quam & ipsam pictor effinxerat.*

## TABELLA LOQUITUR.

*Quanti olim fuerant Pollux & Castor amici.**Erasmum tantos Aegidiumque fero:**Morus ab his dolet esse loco, conjunctus amore**Tam propè quam quisquam vix queat esse sibi.**Sic desiderio est consultum absens, ut horum,**Reddat amans animum littera, corpus ego.*

IPSE

## IPSE LOQUOR MORUS.

*Tu quoque asticis, agnitos opibor  
Ex vulnib; si prius vel unquam  
Visos: sin minus, indicabit altrum  
Ipsilucet a scripta, nomen alter:  
Ne sis nescius, ecce scribit ipse.  
Quanquam is qui siet, ut taceret ipse,  
Inscripti posterant docere libri,  
Toto quis celebres leguntur orbe.  
Quintine o veteris nouator artis,  
Magno non minor artifex Apelles,  
Mure compositio potens colore  
Vitam adfigere mortuis figuris:  
Hencur effigies labore tanto  
Factastam bene, talium virorum,  
Quales prisca talere secla rarois,  
Quales tempor a nostra rariores,  
Quales haud scio post futura an ullos,  
Te juvit fragili indidisse ligno,  
Dandas materia fideliori,  
Qua servare datas queat perennies.  
O si sic, posteras tueque fama &  
Voris consuluisse posterorum.  
Nam si secula, qua sequentur, ullum  
Servabunt studium artium bonarum,  
Nec Mars horridus obteret Minervam  
Quanti hanc posteritas emat tabellam?*

MI PETRÉ, cùm omnia mirificè Quintius noster expressit, tum mirificum in primis falsarium videatur præstare posse: nam ita inscriptionem literarum ad te mearum imitatus est, ut ne ipse quidem iterum possem itidem. Quare nisi aut ille in suum aliquem usum, aut tu in tuam eam servas epistolam, remitte rogo ad me, duplicabit miraculum apposita cum tabella: fin aut periit, aut nobis usui erit, ego experiar mea manus imitatoremi ipse rursus imitari. Valē cum lepidissima conjugē.

V.  
THOMAS MORUS ERASMO  
fus  
S. P. D.

**H**O DIE literas abs te accepi, simul ad  
Coletum atque Roffensem unā cum lili-  
bello. Curabo quām primum ut per-  
ferantur, ne libellus amittat gratiam novitatis.  
Quum epistolam legerem, mirabat cur non ad  
Cantuariensem quoque scripsisset, ut rem tu-  
am ipse tractares apud eum, apud quem pro-  
fectò, nī fallor, nemo aliis tantum potest.  
Quanquam si per me malis, & efficacius putas  
à præsente rem agi posse, quām per epistolam,  
libentius id faciam quām jusseric: sed non erit  
perficiendi facultas tam citò, quām ego tuam  
rem vellem fieri. Nam hoc solenne est apud  
nos, à legatione redeuntem, rectè Regem pe-  
tere, nec obiter ad quenquam divertere.  
Ad hoc negotia nostra tam lentè procedunt,  
ut verear ne sit diutius hic morandum, quām  
aut speravi, aut è re sit mea: nisi fortè nihil vi-

debitur hic spei, quare sit manendum. Inte-  
rim tamen si tu voles, res agi potest per literas:  
nec dubito quin velis. Sic agam ergo, ut de-  
ponatur hujus anni pensio apud Maruffum, &  
syngrapha mittatur ad te. Sed de redimenda  
penione mihi certè non videtur agendum:  
cùm quòd nemo est qui debeat redimere, nisi  
is qui, üt ego audio, nihil habet unde possit:  
tum quòd vereor, ne Archiepiscopus sic inter-  
pretetur, tanquam à nobis animum prorsus ab-  
jeceris. Quam ob rem de redemptione rursus  
cogitá: si decreveris, ego non deero. Inte-  
rim ipse de solutione tractabo: nec mihi videris  
facturus male, si tuas etiam literas addideris, id  
quod fortassis expectat. Gaudeo Paraphras-  
si sub pralo esse. Invideo mediustidius  
Lovanio, cui tantum contigit beneficium,  
quantum, ut video, vix agnoscit. Sed is de quo  
scribis, aut ego fallor, aut nunquam metabitur.  
Tonstallus planè sentit, te nimil bonum esse,  
qui ei toties deceptus pergas credere. Pacae-  
us adhuc non fedit, neque scire possum,  
quando sis redditurus: sed neque communisci  
queo, quid habeat negotii. Certè quartum  
inquirendo competere possum, jām diu nihil  
est, neque cum Imperatore, neque cum Helve-  
tiis: nec tamen licet remigrare domum, quum  
plus, opinor quām annum jam Constantiæ  
desederit. Miror ab illo non redditum tibi  
librūm. Scribam ad eum hac de re diligenter-  
issime: neque enim quicquam est quod max-  
im perfici, velliteratum causa vel mea. Vale  
ini carissime Erasme. Gaudeo versiculos  
meos in tabellam tibi placuisse. Tonstallus  
hendecasyllabos plus satis laudavit, hexastichon  
moderatè. Sed id fraterculus quidam  
ausus est etiam reprehendere, quòd yos Ca-  
stori & Polluci conferebam, quos dicebat pô-  
tius comparari debuisse Theseo ac Pirithoos,  
aut Pyladi & Oresti, qui quod vos estis, invi-  
tem erant amici non fratres. Ego fraterculum  
ne vera quidem dicentem potui fert, re-  
sequutus hominis bonam operam malo Epis-  
grammatè;

Duos amicos versibus paucis modo,  
Magnos volens offendere,  
Tantos amicos dixeram, quanti olim erant  
Castrisque Polluxque invicem.  
Fratres amicis, ait, inepte comparas,  
Ineptiens fraterculus.  
Quidni, inquam? an alteri esse quisquam amicis  
cior,  
Quam frater est fratri, potest?  
Irrisit ille inscitiam tantam meam,  
Qui rem tam apertam nesciam.  
Est ampla nobis, inquis, ac frequens domus;  
Plus quam ducentis fratribus:  
Sed ex ducentis, pereo, si reperis duos  
Fratres amicos invicem.

Jam iterum vale. Clæti V. Novembris; id-  
optim, valde festinante tabellario, urgente op-  
nor illum auriga.

VI.

THOMAS MORUS  
ERASMO ROTERODAMO  
S. D.

**D**ILATUS ac procrastinatus Palgravi nostri quotidie iturientis discessus effecit, ut & meas literas, & aliorum serius multo quam aut ego volebam, aut tu debebas, acciperes. Videbatur enim commodissimè relatus ad te meas, quituas ad me attulisset: sic necesse tuit, prioribus praesentes addere, quibus constare tibi dilationis ratio posuit, simul uti quid nunc agatur apud nos, intelligas: qui si unquam alias, nunc maximè in moerore & periculo versamur, multis undique morientibus, omnibus fere, qui Oxoniæ, qui Cantabrigiæ, qui Londini sunt, intra paucos dies decumbentibus, amisis plurimis, optimis, atque honestissimis amicis: atque in his (quod tibi quoque dolori esse doleo) Andrea nostro Ammonio, in quo & literæ, & omnes boni magnam fecere jacturam. Is valde sibi videbatur adversus contagionem vietus moderatione munitus: qua factum putavit, ut quem in nullum pæne incideret, cuius non tota familia laboraverat, neminem adhuc è suis id malum attigerit, id quod & mihi, & multis præterea jactavit, non admodum multis horis antequam extinctus est: nam hoc sudore nemo nisi primo die perit. Ego, uxorque, ac liberi adhuc intacti, reliqua familia tota revaluit. Hoc tibi affirmo, minus periculi in acie, quam in urbe esse. Nunc ut audio, savire Caleti incipit, quum nos eò extrudimus, legatione functuri, tanquam parum sit, in contagione vixisse, nisi sequamur etiam. Sed quid facias? quod fors feret, ferendum est. Ego animum mihi in omnem eventum composui. Tu vale. Raptim Londini, XIX. die Augusti, M.D. XX.

VII.

THOMAS MORUS  
ERASMO ROTERODAMO  
S. D.

**A**Ccepi, mi Erasme, literas ab Ventsfor-  
do, quas per eundem tabellarium pro-  
tinus ad te transmitto : ex quibus ho-  
minem facile deprehendes antiquum adhuc  
morem obtinere. Non petam ut ignoscas,  
quod tuas aperui : vides enim ut scriptae tibi,  
sic mihi inscriptae sunt, nec dubito quin eo-  
dem errore ad me contra scriptae sint, quae sunt  
inscriptae tibi, quarum tam avidus eram, ut re-  
signare non libuerit. Si quid in his videris,  
quod me putabis velle scire, (quod ego certe  
non puto) significata. Opinor ad te perlatas, qui-  
bus te certiorem facio de recepta tabula, de  
qua rursus, ac millies mi Erasme rursus, tibi ago  
gratias. De Petro tuo postquam ivit in An-

gliam, nihil audio. Utram tuum verè dignum  
Rege munus , aliquid tibi ab Rege conciliet  
boni. Feliciter tibi cedat, quod injunxit *ωτο-*  
*νξάτως*: nam ipsi succedit nihil, imò per Deum  
omnia. Tuum consilium probo, qui non vis  
principum négotiosis nugis implicari: & me  
planè amas, quum iisdem optas ut extricer, in  
quibus haud credas quām invitus versor: ne-  
que potest quicquam esse odiosius, quām hæc  
est legatio. Nam & relegatus sum in oppidu-  
lum maritimum, & solo & cœlo injucundum:  
tum domi qui me sp̄e natura vehementer ab  
litibus abhorream, etiam cum lucrum adse-  
runt, quantum necesse est hic adferunt tedium,  
quum veniant comitante danno. Sed Domi-  
nus benignè pollicetur omnia repensurum  
Regem. Cum recepero, faciam tu scias. Inte-  
rim vale, tu fortassis ultrò non optas. Eduardo  
Leo multam ex me salutem dicito, & Palgrave  
nostro, si rediit. Iterum vale. Caleti, XXV.  
die Octobris, M. D. XX.

VIII


# THOMAS MORUS ERASMO

*S. D.*

**D**E puer, cuius causam commendaisti  
mibi, jam antè eum patre ejus egeram  
quām tu scripsisti. Rogarat enim pri-  
dem me per literas puer ipse, quod sibi per-  
suaserat apud illum meam sententiam momen-  
ti aliquid ac ponderis habituram. Tractavi  
rem diligenter; quid profecerim haud satis  
certò scio. Respondit mihi pater ejus non  
omnino duriter, & tamen (ut novi hominem  
ad rem attentum) opinor respondisse tam  
commodè, magis pudore quodam adversandi  
mihi, quām quod ex animi sui sententia loque-  
retur. Summa erat, de filio se usurum consi-  
lio meo: sed interim non obscurè significabat,  
eum se numinatum malle quām literatum.  
At puerum ipsum sic animatum video, ut non  
rem paternam tantum, sed ipsum etiam pa-  
trem, citius relicturus sit quām se divelli pati-  
tur à literis, nimirum dignus cuius indolem ta-  
lem soyeant omnes, atque omni ope promo-  
veant. Lovaniensem illum Scholasticum ita  
collocavi, ut non dubitem quin tibi perpetuò  
sit habiturus gratias. Eruditio ejus perplacet  
hero, qui quum audivisset eum mihi commen-  
datum abs te, rogavit ultrò uti juvenem ipsi  
permitterem: qua in re ego non gravatim illi  
sum gratificatus, utpote quod aliqui destina-  
veram petere. Nam apud me pluribus mi-  
nistris non vacabat locus. Is dum primis illis  
diebus esset apud me, ostendit mihi opera  
quædam Ludovici Vivis, quibus neque magis  
elegans neque magis eruditum quicquam jam  
dixi vidi. Quotum enim quemque reperias,  
imò adeò quem unum fermè reperias usquam,  
qui tam virente ætate (nam tu eum virente et  
iamnum ætate scribis esse) tam absolutum cy-  
clopædias orbem absolverit: pudet me profe-  
di mi Erasme mei, meique similium, qui una

aut altero libellulo, eoque ferè inepto, venditamus nos, quum Vivè respicio tam juvenem, tam multa, tam excusla, tam diserti sermonis, tam abstrusa lectionis edidisse. Magnares est linguarum alterutra pollere: ille se probat utraque peritissimum. Majus quiddam ac fructuosius præclaris imbutum esse disciplinis: at quis uno vive se ostendit aut pluribus instructum, aut melioribus? Multo verò maximum est sic bonas artes imbibisse discendo, ut in alios eadē possis rursus docendo transfundere. At quis illo docet apertius, dulcius, efficacius? Non possum satis admirari virtutes illas quas in declamationibus ejus tu & acutè perspexisti, & expressisti luculententer, potissimum verò (quod in declamando potissimum est) non modò illorum historias temporum tam exprompta memoria complecti, quām non quivis suarum rerum meminit, verum hominum tot olim seculis functionum fato affectus tam prælentes induisse, ut non è libris hausisse quæ declamat, sed vidisse, sensisse, in parte suis rerum vel prosperè vel secus cadentium videatur, consilia dñique non ex aliena conditione languidè, sed ferventer admodum ex suo ipse metu, spe, periculo, felicitatem metiri. Quòd si in alterutra tantum parte præstaret, effet tamen admiratione dignum. Nunc verò talem se præbet in utraque, ut chamaleonta putes, verso solo simul mutasse colorem. Utinam experciscantur Erasme, atque ad istud Vivis exemplar componant se se quidam qui nimium ambitionē volunt haberi pro disertis, idque eo magis titulo quòd alia omnia contemnāt, quām quòd vel assequantur vel ritè consequantur eloquentiam, utpote qui ne per somnium quidem concipient ullam Rhetorices imaginem. Hi quum cæteras artes negligant, quoniam studiorum nomine cohonestari postulant? Oratorem profectò vel Rhetorem nemo jure vocabit eum, qui neque veras agat causas, neque declamet fictas. Quin Poëta perquam tenuis fuerit atque exanguis, cuius poëma nullis Philosophiæ monitis, nullis Rerum præceptis, nullis differendi exercitamentis formetur. Vives quum in Rhetorica talem se præstiterit, qualem haud fermè jam quisquam qui nihil profitetur aliud, tamen cæterarum artium omnium quæ quidem dignæ sunt scitu, nullam reliquit, in qua non ita versatus est, ut in ea sola ætatem omnem contrivisse censeas. Itaque ut nihil est illius quod non mirum in modum delectet omnes, ita me profectò quæ scripsit in pseudodialecticos peculiari quadam voluptate perfundunt. Non id eo tantum (quanquam ideo quoque quòd illas ineptas argutias lepidis cavillis eludit, validis argumentis oppugnat, inevitabilis ratione à fundamentis eruit atque subvertit, sed & prætereat quòd ibi video quædem iisdem ferè tractata rationibus, quas & ipse mecum olim quum nihil adhuc Vivis legissim collegaram, Quæ mihi nunc non eo nomine placent in libello Vivis, quòd meæ rationes ante arriserint

mihi, (folet enim placere, si quid afferre alios videmus quod nobis ante in mentem venerat) sed quòd mihi pludo, quando quod ante suspectum habueram, ne parum aptè diceretur, nunc confirmor haud inscitum esse, postquam Vivi quoque video placuisse. Jam illud me capit ac delectat maximè, quòd quum videam idem argumentum utriusque nostrum animum & cogitationem occupasse, tum sic utriusque tractatum, ut quanquam & fusi ab illo & elegantius, tamen in nonnullis non tantum res afferamus, sed proptermodum eadem etiam verba, sic mihi libenter blandior, quasi cognati quippiam sideris animos inter se nollos occulta quapiam vi & conspiratione conciliat. Hoc illi gratulor quòd tantum habet locum apud Cardinalem suum. Spero fore ut illius numeri favor iniuriam fortunæ corrigit, quæ solet in eos esse pessima quicunque merentur optima, & tanquam literis ac virtutibus invidens, indoctos ferè atque improbos beneficis suis evchere. Verum Cardinalis (cui beandi quenvis tam facilis ferè quām ipsi fortunæ facultas est) homini tali, quem inter penitissimos adscivit, cui tantum eruditionis eximia (qua nunc haud paulo clarius quam ipso dignitatis fulgore splendet) acceptum fert, non insigniter esse beneficis, neque pro insigni sua bonitate volet, neque sine insigni apud posteros quoque traductione potest. Vale mi Erasme carissime, quem ego spero fore ut Caleti propediem præsens præsentem in hoc regum congressu complectar. Hodie appellat Imperator. Cras summo mane Rex in occursum prodibit, imò fortassis hac ipsa nocte que jam nunc appetit. Non credas quanto gaudio non dico Regis ac Procerum, sed populi quoque sit acceptus nuntius per quem constabat Imperatorem huc appellere. Iterum vale è Cantuaria, pridie Pentecostes. Quiddam est, mi Erasme, de quo si mihi notus esset Vives, admonerem illum. Nunc quoniam haud certus sum quo animo acciperet ab ignoto tam importunum officium, ipse potes per occasionem submonere: esse in ædibus legum atque item in ejus somnio (quod alioqui multorum superat pervigilatas vigilias) abstrusiora quædam quām ut pateant nisi doctissimis, quum fuerit in rem literariam utile, illius omnia quām plurimis intelligi. Ei rei vel explicando, vel adjectis in margine brevissimis scholiis, facile mederi fuerit. Addet item plurimum lucis declamationibus, si brevibus historiæ summam complexus vel una pagella præponat. Iterum vale. Anno M. D. XIX.



## IX.

THOMAS MORUS ERASMO  
SUO S.D.

**T**Ametsi mihi nunquam fuit obscurum, Erasme omnium dulcisime, quanto in intervallo judicium tuum antecellat

[R.r] meum:

meum: nunquam tamen illustrius inclinavit, quām in hoc consilio, quo tibi Leoq; sualimus, ut libellus ejus perpetuō premeretur: te censem te contrā, ut tūm potius edere sineceretur, dum expectabatur aſſiduē, ut aliquando posset ea finiri fabula, quam sopia fama paulisper, pōt exire tamē, noya ſuſcitata tragedia. Itaque per pulimur verius, quām persuasimus, ut in ea pacta concederes, quām quum tu te neges infregiſſe. Leo sancte ſe terrafte dejetat, interim tamē perpetuō ferē rumpebantur: per utrum verō, quando res me tamē proculagente gerebatur, altero in alterum congerente regerenteque vicifim omnia, certō dijudicare non possum: dolere tantum cogor, illud consilium tantum apud utrumque valuiſſe, ut pax iniretur, quod valitum non erat, ut fervaretur. Maluifem enim tum libellum editum quum minus irritatis animis poterat edi mitius, quām ut nunc demum adauit̄ odiis emitteretur acerbior. Prodiit enim, ſed amarior aliquanto quām vel ſperaſſem vel in rem fuſiſſet ſtudioſorum, in quibus deſideratur ea modetia, quām vel idiotas in vicem non præbere pudelceret. At tibi certē mi Erasme convenit, ſi cauſas quas allegat, habuit, non mirari, ſi armatuentius affeſtum ſuum tam insigniter offenſus effuderit: ſi eluſus eſt aliqua figura veri, ſic quoque conuenit ignoscere. Neque enim nos quicquam ſegnius credita movent quām cognita. Non es vel admonendus, opinor, vel hortandus, ut exhibeat̄ abſ te vere Christiana modetia, cuius labor in tota re uni defudat Christo, quāl tibi ſolus ob oculos debet obverſari: à quo ſolidorem tanto referes gratiam, quanto magis hic referre mundus neque ingratus curat, neque gratus potest. In cuius immensa commoda, quum tot incommoda perpeſſus ſis, quum tot laboribus valetudinem detriveris, ut bona promoveres ſtudia, tamen apud invidos, eosque tibi propemodum uni debentes, quicquid habent literarum, ſi quid habent bonarum, mala pro bonis referas, eo ſimilior es Christo, quem non aliter poſſis imitari fideliuſ, quām ſi maledicta retaliaſ benedictis, ſicut incitaſti benefactis. Vale Erasme animo meo chariſſime.



## X.

### THOMAS MORUS ERASMO, VIRO OPTIMO ATQUE DO- CTISSIMO, S. D.

**A**NTIMORUS, mi Erasme, Brixii jam diu Londini fuerat, priuſquam tuꝝ ad me literaꝝ pervenirent. Mirabar aliquantulum, quām rem tam valde velles, cur de ea tam ſerō ſcriberes: niſi aut Antimorus forte ferius aliquanto pervenit iſthuc: aut ideo ſuſiſ ſegniꝝ, quād donec accepiſſes me. illi ſilium paraſe contrā, putati fore, ut ejus librum, utpote autori potius quām mihi noxiū, neque planè dignum cui responderetur,

mea ſponte contemnerem: id quād ego profecto, mi Erasme, feciſſem, niſi amici quidam & doctiſſimi ſimil & prudentiſſimi ſuſiſtient ali- ter, quibus Brixius eti magis irriſus eſt quām in viſuſ, tamen haudquāquam ita charus erat, quām eſt, ut video, tibi. Nam ego jam fermē biennium, quām audivifsem eum moliri talia, atque in animo haberem ad eum ipſe ſcribere, idque quām potuſſem amantifimē: ſimulque ea conſulere, quā magis aliquanto in rem iſpli- us feciſſe fuerat, quām quā nunc intemperanter fecit: intellexi interea nuntiis ē Lutetia certiſiſmis, adeo hominem in abruptum ferri ſuisaff: cibis, ut nullis amicorum ſuſiſbus pō- tuerit cohiberi, non Beraldi, non Lascaris, non Budæi (vides qualium virorum) coſiliis re- trahi: non Deloiini demum viri tanti, non re- verendiſſimi Cardinalis, qui nuper illic obiit, autoritate commoveri. Sic intabefcebat ul- cificendi libine, & tanquam Narciflus amore quodam luorum ipſe verſuum deperibat miſere, quos tamē quotidie novos, velut ē cunis exceptam ſobolem, in mensam nunc Deloiini, nunc Cardinalis circumferebat exoſculans: nec ſemper inde latus referebat domum, quum à viris doctis & gravibus audiret inter- dum talia, qualia ſi ſapuiſſet ipſe dixiſſet ſibi. Quorū mihi multa cum aliis ſcriperunt il- linc, tum Joannes quīdam natione Græcus, homo Latina lingua juxta doctus ac ſua, pro- bis moribus, & indubitatae fidei, plurima re- tulit coram: quibus quum ſentirem Brixium impotentius abripi, quām ut attractari pate- retur, mutavi coſiliū, atque à ſcribendi vo- luntate deſtitui. Simul cogitabam, eti haec- nus indulgeret animo, ne penitus vellet tace- re: tamē quoniam in eam rem tam multum ſtudii, tam multum impendebat temporis, in quo non erat abſimile veri, primū illū ani- mi calorem, ac velut impetum quendam, qui ſubitiſ rebus imponit, ſpacio & mora deſerve- re, jocis eum luſurum ac ſalibus, à juriis ve- rō, conviciis & calumniis omnino temperatu- rum ſibi, ne merito judicaretur importunè ma- ledicus, ſi acerbius in pace laſeret, quām Ia- ſus eſſet in bello. Tum quoniam ante annos septem Chordigeram ejus legeram quā tam- etiſ ſuſiſ & inventionis, ceconomiaꝝ, & ſer- monis vitiis abundabat, præ ſe ferebat tamē ſpecimeň ejus ingenii, quod annis poſſet (quos nunc acceſſiſſe videbam) aliquando mature- ſcere: ſperabam eum doctum aliquid atque excuſum editurum, quod me quoque in quem edebatur, oblectaret, quem jocus aliquanto li- berior non admodum ſolet offendere. At ubi prodiit præclarus iſte Brixii partus Antimorus, Morycho planè moroteros, veneno quovis vi- rulentior, & indoctior ipſa Chordigera, nihil aliud quām, ut par erat, irriſi, illud interea me- cum ὑπερτορβοεἰων, χρυſτὸς ζητᾶς ἐπον ἀ- θηνακας. Et herecē quemadmodum Ἀθηνα car- bones exuſerunt Empedoclem, ita carbones iſti ſimilem captantem gloriam uſtularunt Brixium, ac reddiderunt carbonē quovis atrio- rem:

rem : eoque nec omnino quicquam responderem statueram. Verum aliis aliter visum est, quorum ego iudiciis in meis rebus magis fidebam quam meo. Hi quanquam faterentur, neminem esse literatum usquam, cui non factura sint nauseam, tam insulsa, tam virulenta delicia : calumnias ejus censebant, et si perabsurdas atque ineptas, ad hæc nec obscuras, si quis attenderat satis proram pupillaque negotii, non fore tamen satis liquidas multis, qui fortasse legerent ejus Antimorum, quum neque Chordigeræ, neque meorum Epigrammatum facultas futura fit. Suaserunt igitur, ut hæc omnia in unum librum cogerem, & lectoris pariter subjecerem oculis: tum ut meo scripto negotium non nihil illustrarem, sic ut legenti nihil requiratur amplius, nisi judicium suum. Vides Erasme carissime, quid nos ad rescribendum compulit. Quamobrem non necesse habeo tuis respondere rationibus: quando nisi alio me per pulifsent alii, fuerim ipse tibi semper  $\delta\mu\alpha\psi\phi\sigma$ . At quod tibi video persuasiss Brixium, negligencia tantum tabellarii tui contigisse quo minus efficeris, ut ille perpetuo presserit Antimorum suum, vchementer mi Erasme demiror, id sic acceptum tanquam probatum tibi. Quidni credam, inquis, quando Beraldum atque Budæum, utrumque tam spectatae fidei, testes producat in judicium? Producit Erasme, non nego, fidei tantæ viros duos, ut utriuslibet fidem in quantavis re facere fidem possit. Quid obstat, inquis, ergo quin quod ait Brixius vicerit? Hoc unum, mi Erasme, quod quum duos testes producat, utrumque producit auritum, oculatum verò neutrum, quum plus in iudiciis valeat oculatus testis unus, quam auriti decem. Quid enim aliud possunt testari Beraldus ac Budæus, quam sese ex ipso audivisse Brixio, Antimorum illo aut illo die fuisse sub prælo? Hoc enim significat Brixius, quum se dicit illis editionem Antimori indicasse aliquot ante diebus, quam tuam legisset epistolam. Ergo tu Beraldo credes & Budæo, sed cui interim credent illi? an non ipsi Brixio? Videsne nunc Erasme speciosum istud testimonium? Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi, ut exiret denique in suffarinatam Cæntharam? Ut illud omittam interim, quod nullos unquam testes potest producere, non ante sibi letam epistolam tuam, quam vidisset excusam, quum potuerit acceptam dissimulare, ut ista causa post apud te liceret uti integra. Præterea quum Antimorus ejus constet quaternionibus non plus octo, qui totidem diebus solent excudi, nec dimidium ex Brixii verbis colligitur peractum esse quum tuas literas legeret, in angustum sane campingit illos aliquot dies, quibus ait se Beraldo & Budæo indicasse editionem. At cur, inquis, fingeret istud Brixius? Ad eum tibi mirum videtur, si vel animi causa fingat homo poëticus? Quanquam suberat etiam causa, cur fingeret. Nam quum uterque frequenter admonuisset, ne tam ineptum libellum, ac muliebriter jurgiosum ederet, volebat fortassis experiri, an eodem animo accepturni forent quum fecisset, quo tam sæpe consuluisserent, ne faceret. Accidit enim non nunquam, ut quod ne fiat, obscurus acriter, dura res est integra, id ubi in eum locum venit ut non possit corrigi, patiamur, & vitium, quoad licet, verbis integamus. At ego, mi Erasme, quo verè videre possis, quanto verius Morus tibi paratus sit obtemperare, quam Brixius, quanquam quum tuæ ad me venirent litteræ, liber non quidem sub prælo esset, sed totus esset excusus: atque id docere possum non duobus auritis testibus qui ex me audierint, sed oculatis plus quam decem, qui suis viderint oculis: imò testibus opinor oculis ipsius tuis, utpote ad quem librum ante hanc epistolam pervenisse non dubitem: quanquam ad ejus editionem totamcorum consilii urgerer; tamen ubi tuas literas accepissem, cuius unius apud me sententia omnibus omnium calculis præponderat, non sum imitatus Brixium: cui quum sit, ut scribit, crumena semper ære gravis, tamen tanti fecit monitionem tuam, cuius, ut ait, nutus observat, ut non sustinuerit tantillum sumptus impendere, quo libellos illos universos coemeret, atque in ignem semel conjiceret, ut tantas ejus inceptias, nomen illud Brixii, cuius illustrandi desiderio nimis quam miserè sit, infamuras omnium subduceat oculis. Ego verò, mi Erasme, præter eos duos quorum alterum jam ad te miseram, alterum ad Petrum Egidium, atque alios quinque quos vendiderat Typographus (nam quum primum prostant ac cœpissent avidè flagitari, tua commodum intervenit epistola), coemni universos, eosque clausos adverso, ut priusquam aliud innovetur ex me, possimus, imò possis potius ipse tecum statuere, quid à me velis fieri. Quamobrem tute nunc, mi Erasme, etiam atque etiam dispice, in ejus amici causa quid statuas, qui quicquid statues, obtemperare constituit. Nam quod suades, ut quicquid in Brixium scripseram, omittatur, quum Epigrammata mea denuò contingat excudi, atque ut Antimorus Brixii yicissim non propagetur amplius ego, mi Erasme, quod ad Brixium pertinet, multis mihi video conjecturis colligere, magis tenerum ejus in suos versus animum, quam ut abduci patiatur ab eo studio se, quo carissima soeuræ suæ quoad ejus fieri potest procuraret æternitatem. Mea verò epigrammata nunquam admodum animo placuerunt meo, id quod & ipse mihi Erasme conscient es: cui & quibusdam aliis nisi liber ille arrisisset amplius, quam ad blanditus est mihi, nusquam fortassis extaret hodie. Nunc vide ut rerum vices inversæ sunt. Si conditione cautum esset inter nos, ut ex epigrammati meis tibi liceret quæcumque velles transfigere, modò ne jus in pauca quæpiam sit, quæ mihi liberet exciperet, jam quos in versus solos tu ex pæco ferrum stringeres, eos ego solos exceptione defendere. Ad eum mihi cœperunt ad blandiri, postquam eos video multis commendari virulenta atq; inepta versificatione

Brixii. Nec tamen istud dico quo minus tibi quidvis licet in mea, cui quidvis etiam licet in me. Jam quod ais, eum esse Brixium, quem si per nossem intimius, eum sentirem talem, quo nemo sit amore meo dignior. Evidem, mi Erasme, non me pro tanto viro gero, ut tam tenui quenquam conditione videam, quem indignum censeam amore meo, modò ne sit improbus, qui non amari debeat à quoquam: eoque Brixium facile assentior non indignum esse, qui majorum sit amore virorum dignus quam ipse sum. Nam omnino videtur aliquanto plus habere, non dico superbiz, sed planè generosi cujusdam spiritus & magnificenter, quam ut ad pusillam hanc atque humilem indolem meam possit usquevaque congruere, nisi in amicitia tam male copulari vellem, quam male in aquales veniuit ad aratra iuvenci. Nec tamen eam, mi Erasme, te consulente recusem, qui me vel ad parentum præstantioribus facile possum componere. Certe quod ad eruditioñem ejus attinet, studiosum esse credo, & non omnino stupidum, tum quem aliquando alium reddet usus. Cæterum in his quæ edidit hactenus, ut verè dicam id quod etiam docere possum, neque sollecitismis caret, neque numeris satisfecit, & ingenio frequenter magis labitur, quam ut puerο coricedi possit. Et tamen qualis est, non tanti memet facio, ut me illi posse censem etuditione conferri, quum tu, mi Erasme, vel amore cœutiens, vel (quod verius certè puto) quadam erga me civilitate præferas. Et ut ingenuè dicam, adeò illum non odi, ut postquam animo nunc defecatioñem factus, adarem etiam litterarum gratia, vel tua. Verum in causa quid fieri velis expedere diligentius, priusquam imperes. Nam planè si non respondero, putabor multis hujus ineptissimæ rixæ præbuile causam, & nihil quicquam provocatus, tamen probris, diris & execrationibus infectatus illum: quod non minus fuisse inhumanum, quam nunc falsum esse docuī, si tu librum patieris exire: in quo quod secundo loco mones, ut si omnino decretum sit emittere, curandum mihi sit, ut (quod hactenus me præstis dieis) eruditioñem tantum videar & causa Brixium, non etiam conviciis vincere. Ego, mi Erasme, ut eruditioñem contentus sum, si Brixio compar sim, ita causation dubito quin longè sim superior, quantumvis suam Brixius afferat bonam, facilem, vincibilissem, quod principium ex arte solet adhiberi ad defendendam noxam. Convicis profectò facile me vinci patiar, quo armorum genere nunquam pugnare statui. Et tamen fieri potest, ut quod mihi mea facit injuria nihil acerbum videri, idem aliis cui non idem rei sensus est, judicer esse mordaculum: Quod si fors acciderit uspiam, non adeò reverebor æquitatem lectorum, quin & in me quoque, mi Erasme, quantumcunque gravem persolnam tuus nobis imponat amor, qui magna de me fngit omnia, tantum dum adhuc inter mortales

tales versor, nondum planè relatus in diuīs  
ut in re ridicula rideamus: non verebor, in-  
quam, quin aliud & in me condonaturus sit  
humanus lector, humanis, quos hominum ne-  
mo prorsus excusit, affectibus. Vale mihi Eras-  
miae charissime. Quum Caletum venerimus,  
quod Rex propediem adornabit iter, spero sed-  
re ut coram his de rebus commentemur plen-  
nus. Nam omnino in hoc Regum conventu-  
te expecto, atque ita Brixium: nam & Regina  
Gallorum aderit, cui cum sit à secretis Brixius,  
non poterit opinor abesse. Ita quod ad me  
attinet, facile rem compones ex sententia tua:  
Nam etsi nulla de causa sic egit in me, ut plane  
declaraverit nihil ad meam perniciem præter  
vires defuisse sibi: tamen quando tu, mihi Eras-  
me, plus es mihi quam dimidiatus mei, plus  
apud me valebit in Brixio, quod sit amicus  
tuus, quam quod inimicus meus. Iterum vale,  
Grenvici, mense Mayo, M. D. XX.

XI.

**THOMAS MORUS ERASMO**  
**ROTERODAMO S.D.**

**Q**uam rem ad hunc usque diem à pue-  
ro penè semper optavi, Desideri dul-  
cissime, ut quod tibi perpetuo conti-  
gisse gaudeo, idem aliquando gauderem con-  
tigisse mihi, nempe ut publicarum rerum ne-  
gotiis liberatus aliquid olim temporis vivere  
Deo duntaxat ac mihi met ipsi possem: id nunc  
tandem Erasme Dei optimi maximini benigni-  
tate ac Principis indulgentissimi beneficio  
consequutus sum. Ceterum non ita tam  
sum consequitus, ut volui. Fuerat enim in  
votis, ut ultimum illum vitæ colophonem,  
quicquid annorum fueram habitus, infra-  
ctum, vegetumque, morbo saltem & cruciatu-  
liberum, (quoad per statem licet) obtine-  
rem. Nunc vero an ejus voti, nimium fortis-  
simus improbi, compos aliquando sim futurus,  
Deo in manu est. Sed interim peccatum mihi oc-  
cupavit nescio quid morbi: cuius non tam sen-  
su & dolore crucior, quam eventus meus ac ti-  
more solicitor. Nam quum aliquot menses  
eodem tenore semper infestaret, consulti Me-  
dici responderunt, moram longam in morbis  
esse pericolosam, & curam hujus ajebant cele-  
rem esse non posse, tempore sensim, vietu-  
pharmacis, quiete medicandum: neque finem  
medendi præfiniebant, neque salutem satis cer-  
tam poliscebantur tamen. Hæc ego igitur me-  
cum versans animo, quum aut deponeret dum  
mihi magistratum viderem, aut operam meam  
in eo gerendo claudicaturam, quando negotia  
qua res poscebat obitum per me non possent, nisi  
mortem ipse obire periclitarer, qua si defun-  
gerer, vel sic omnino cum vita simul relinquerem  
dum fuit officium, decrevi tecum tandem altero  
potius quam utroque carere. Quamob-  
rem ut & publicis rebus pariter & meæ salutē  
consulerem, à clarissimi Principis & optimi  
benignitate suppplex imprevari, ut magistratu-

istò, quo me (quod tute scis) regni totius amplissimo incredibilis ejus in me favor tam longè supra meritum quam supra spem ac votum omne meum honoraverat, nunc sub ejus pondere fatiscentem dignaretur ejus pietas exonerare. Superos igitur universos precor, ut & istos indulgentissimos in me clarissimi Regis adflectus Deus, qui solus potest, digna repenset gratia: & mihi quicquid temporis reliquum daturus est, ne per iners atque ignavum transigatur otium, non eam modò mentem donet ut bonas horas bene collocare velim, sed eam etiam corporis addat firmitatem, qua possum. Nam (qua mea socordia eit) infirma valetudine nihil omnino possum. Neque enim, mi Erasme, omnes sumus Erasmi, ut quod mortalium omnium uni propeniodum tibi propitiatus donavit Deus, id nos conveniat omnes expectare. Quis enim præter te alias id polliceri audeat, quod tu præstas? qui præter etatis ingrauescentis incommoda, sic assiduis afflitus morbis, ut fatigare atque obtruere juvenem valentem queant; quotannis tamen totius temporis tui rationem, tanquam nihil inde neque anni graves neque adversa valetudo sufficeret, editis libris optimis orbi toti nunquam cessas reddere. Quæ res una quæcum reputantibus universis miraculi vicem habeat, ad stuporem tantum usque miraculum geminat, quod nihil te deterrent à scribendo (qui vel Herculeum pectus oppressuri viderentur) tot undique in te surgentes vilitigatores tui: quales tibi multos indicis exuscitat incomparabilis istius ingenii tui atque eruditiois; ingenium etiam tale superantis invidia: ad quas naturæ atque industrie tua virtutes quum facile intelligent nunquam posse concendere, & ferre amien per ahini tumorem, quo penè dilupuntur, nequeant ut infra tam longè subsident, machinantur inter se nimium ac pro sua quisque virili moluntur, si quæ possint efficere ue tua gloria ad ingloriam ipsorum vilitatem queat asfidua detractione deduci. Sed dum faxum hoc Sisyphium jam tot annos volvunt, quid aliud interim tandem tam irritus quam improbus labor efficit, quam ut faxum semper in ipsorum caput recideret, tu semper altior & sublimior evaderes? Nam si quid interdum aliquos, qui neque mali sunt nec indocti, commoveat, in quo fortasse tractando aliter abste temperatum stylo voluisse, quid magna rei est? quum id non modò nulli unquam scriptori non acciderit, sed nec ipsi quidem dum notarent tua, sic potuerint tamen temperare sibi, ut non idem vitii & illustrius quam ut ex ipsorum honore sit, & frequentius quam pro libelli cuiusque modo contigerit. Qua in re tanto difficultius veniam merentur illi, quod ignorare non possunt, quam ingerue fateris ipse quædam te tractasse sic, priusquam hæreses istæ pestilentiali orientur, quæ jam passim graflantes pessundant omnia, ut si divinare potuisses tales religionis hostes ac proditores aliquando prodituros esse, mitius ac dilutius ea-

dem fueris propotiturus: quæ ut tum propoñeres fortius, diversa quorundam vitia, quæ pro virtutibus amplectebantur, extimulabant. Quem animum qui velit tibi vitio vertere, is haud dubie suadbit satis, priusquam satis inventiat, qua ratione possit sanctissimum quemque ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus excusare: quos ego certe non dubito, si nostrum hoc seculum sic vidissent, ut viderunt suum, nonnulla suis quemque temporibus fuisse & cautijs & explanatijs enarraturos: quod quia non fecerunt, propterea quod dum prætentibus indebantur malis, futura non veniebant in mente, idem nimis illis accidit, quod isti nunc calumniantur in te: nempe ut postea facientes hæretici quædam fese jactant ab illorum scriptis haulisse quæ res tibi non cum sanctissimis solum patribus illis, & orthodoxæ si tei vetustissimis præsidib; sed cum ipsis etiam Apostolis & Evangelistis est, atque ipso etiam Servatore nostro, communis: ut ex quorum verbis maximè, imò prope modum solis hæretici omnes dogmata sua falsissima conantur stabilire. Magis igitur, mi Erasme, virtutibus istis tuis, & tantum, si quid interdum boni cuiusquam virtutis sollicitudinem vel absque satis grandi causa commoveat, ne te pigeat tamen ad pios eorum affectus quædam attemperare: alioquin neglectis malevolorum latratis, perge placidus juvandis studiis & promovendis virtutibus nihil remiroatus insisteret. De illo quem mihi literarum gratia non etiam religionis commendaveras, per quam circumspecte sane ac civiliter, per amicos quos gam admonitus sum, ut caveam ne mihi sublinetur os: id profectò quoad fieri per me poterit, curabitur. Neque enim nescio quantum sit periculi, novas istas errorum sectas admittere, quæ tametsi sedulò semper haetenius apud nos & præsulum cura & Principis autoritate cohibeantur, mirum tamen quibus primùm technis irrepere, deinde quanta cum perpicacia nituntur irrumperè: neque cessant unus & alter è nostris, male vertendo Scripturas & deterius interpretando, omne genus hæreses è Belgica (quo se velut in portum aliquem receperunt) in hoc regnum libris nostro sermone conscriptis mittere. Quorum ipsi sic plerisque responditius, ut non valde cuiquam metuam, qui utrumque perlegit: nisi quod quidam & nova per levitatem, & pernicioſa per malitiam ita libenter & cum favore perlegunt, ut non ideo assentiant, quia vera credant esse quæ legunt; sed quia cupiant. Sed isti hominum generi, quibus malos esse libido est, nulla unquam ratione satisfeceris. Mihi studio est pro mea virili iis præsidio esse, qui non sua sponte desciscunt à vero; sed versutorum hominum fallaciis abducuntur. Vale doctissime Erasme, ac de bonis studiis optimè merite.

Ex ædibus nostris Chelcheicis. Anno  
Dominii M. D. XXXII. decimo-  
quarto mensis Junii.

—  
—  
—  
—  
—  
—

## XII.

THOMAS MORUS  
ERASMO ROTERODAMO  
& D.

**B**inas abs te literas accepi, alteras Friburgi datas VII. Februarii proximi, alteras hic Quirinus attulit, qui præter literas impertivit alia, quæ in regionibus istis acta digna cognitu sunt: quæ quod me scire voluisti, magnas tibi gratias ago. De rebus tuis omnia potes è Quirino cogosceré, qui mihi videtur & probus es, & diligens. Gaudeo tua causa, & quoniam te amo, etiam mea, præsentem Cantuarie præfulem, non minorem erga te amorem præ se ferre, quam præstitit olim Waramus, quo non aliud vixit tui amantior: qui si visus est in fine ad dandum segnior, ipsa res indicat impares facultates non imparem animum fuisse in causa: nam mortuus est supra quam quisquam credit pauper, nisi quod non defuit unde dissoluerentur debita: neque ita multum debuit, sed post impensa justa funeri, non admodum multum superfluit. Dunelmensem haud dubie vehementer exhaustit hoc bellum, aut incursions potius quæ sunt habitæ nobis cum Scotis: nam ejus ditio Scotis est contermina, tam procul à nobis, ut ego tam raro ferre ab illo jam audiam quam abs te. *Rumor hic erat N.* hic fuisse cum Melanchthonem una servatum per nescio quos diu clanculum, post furtem discessisse: sed is rumor paulatim evanuit, & res reperita est falsissima. Rex videtur adversus hæreticos acrior quam Episcopi ipsi. Tyndalus hæreticus nostras, qui & nusquam & ubique exulat, scripti<sup>s</sup> hic nuper, Melanchthonem esse apud regem Gallia: sicut collocutum cum eo, qui illum vidisset exceptum Parisiis, comitatu C. L. equorum, addebat se timere Tyndalus, ne si Gallia per illum recipere, verbum Dei, confirmaretur in fide Eucharistia contra Vicleficam sententiam. Quam sollicitè tractant hoc negotium, tanquam illis delegasset Deus instituendum & rudimentis fidei imbuendum orbem. Quod in epistola priore scribis, dubitasse te epistolam meam edere, quum tamen essent causæ cur editam cuperes, non est, mi Erasme, quod dubites. Locutulei quidam apud nos spargere cœperant, me quanquam dissimularem, invitum tamen esse magistratu abdicatum. At ego quum sepulchrum mihi faciendum curâsem, non dubitavi rem, ut erat, Epitaphio testari, ut contra si quis posset, redargueret. Hoc illi simul ut descriperant, quum velut vanum non possent, ut gloriosultim incessebant. Sed ego hoc malebam, quam ut alterum illud persuaderi sinerem: non mea certè causa, cui quiddicant homines, modò prober Deus, non multum pensi habeo: sed quoniam in fidei causalibellos aliquot adversus quosdam nostros contentiōsorum dogmatum propugnatores lingua nostrate scripseram, arbitrari oportere me integritatem nominis mei

defendere. Etne nescias quam gloriose scripserim, Epitaphium meum accipies: in quo videbis qua conscientia fiducia nihil illis blandior, quo minus de me prædicens quod libet. Expectavi jam Syndici tempus à gesto ac deposito magistratu, nec adhuc quisquam prodidit, qui de mea integritate quereretur. Aut tam innocens fui, aut tam cautus saltem, ut æmusis meis necesse sit, si me altero nolint, altero saltem sinant gloriari. Sed de hoc negotio Rex ipse quum alias, tum privatim sapere, tum bis publicè pronuntiavit. Nam supra quam meus pugnator pati potest ut recenseam, per os ducis illustrissimi, ducis inquam Norfolchiæ, magni thesaurarii Angliæ, quum successor meus homo in primis egregius collocaretur in loco, honorifice jussit de me testatum reddere, quod ægræ ad preces meas me dimiserit: nec eo singularis erga me bonitas Regis contenta, revocari fecit idem denuò multo post in sua præsentia in solenni conventu magnatum ac populi, per os successoris mei, in oratione, quam ex more primam habuit in senatu, quem senatum (ut scis) nos Parlementum vocamus. Igitur si tibi ita videbitur, nihil est quod dubites quo minus edas epistolam. Quod in Epitaphio profiteor hæreticis me fuisse molestum, hoc ambitiosè feci. Nam omnino sic illud hominū genaus odi, ut illis ni relispiscant, tam invisus esse velim quam cui maximè, quippe quoq; indies magis ac magis experior talis, ut mundo ab illis vehementer metuam. Illi de quo scribis (obsequar tuo consilio) nihil omnino rescribam, quanquam longam epistolam jam diu paratam habeam: nec ob id contineo, quod quicquam penitus habeam quid illi aut omnes ejus complices vel sentiant vel scribant de me, sed quod nolim onerare me necessitate rescribendi externis, quum etia propiore tangat respondendi domesticis. Tu mi Erasme feliciter diu vale felicissimè semper. E rure nostro Chelseico.

## T A B U L A A F F I X A A D S E-

pulchrum Thomæ Mori.

**T**HOMAS Morus urbi Londinenſi, familia non celebri sed honesta natus, in literis utcunque versatus, quum & causas aliquot annos juvenis egisset in foro, & in urbe sua pro Shyreno jus dixisset, ab invictissimo Rege Henrico Octavo (eui uni regum omnium gloria prius inaudita contigit, ut fidei defensor, qualem & gladio se, & calamo vere præstit, merito vocaretur) adscitus in aulam est: delectusque in consilium, & creatus Eques, Procurator primus, post Cancellerius Lancastricæ, tandem Angliæ miro Principis favore factus est. Sed interim in publico regni senatu lectus est Orator populi: præterea Legatus Regis nonnunquam fuit, aliás alibi: postremò vero Cameraci Comes & collega junctus principi legationis Cuthberto Tonstallo, tum Londinenſi, mox Dunelmensis Episcopo, quo viro vix habet orbis hodie quic-

quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi intersummos orbis Christiani Monarchas ror-sus refecta scđera, redditamque mundo diu desideratam pacem, & lætissimus vidit, & legatus interfuit:

*Quam superi pacem firment, faxintque perennem.*

In hoc officiorum vel honorum cursu quam ita versaretur, ut neque Princeps optimus operam ejus improbaret, neque nobilibus esset invisus, neque injucundus populo, furibus autem, homicidis, hæreticisque molestus; pater ejus tandem Joannes Morus Eques, & in eum judicum ordinem à principe cooptatus, qui regius confessus vocatur, homo civilis, suavis, innocens, mitis, misericors, æquus & integer, annis quidem gravis, sed corpore plus quam pro ætate vivido, postquam eò productam sibi vitam vidit, ut filium videret Angliae Cancellerium, satis in terra jam se moratum ratus libens emigravit in cœlum. At filius defuncto patre, cui quam diu supererat comparatus, & juvenis vocari consueverat, & ipse quoque sibi videbatur, amissum jam patrem requirens, & editos ex se liberos quatuor, ac nepotes undecim respiciens, apud animum suum cœpit per senescere. Auxit hunc affectum animi subsecuta statim, velut appetentis senii signum, pectoris valetudo deterior. Itaque mortaliū harum rerum satur, quam rem à puerō penè semper optaverat, ut ultimus aliquot vitæ suæ annos obtineret liberos, quibus hujus vitæ negotiis paulatim se subducens, futuræ posset immortalitatem meditari, eam rem tandem (si exceptis annuat Deus) indulgentissimi Principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetravit: atque hoc se pulchrum sibi, quod mortis eum nunquam cessantis adrepere quotidie commonefaceret, translatiis huc prioris exoris ossibus, extruendum curavit. Quod ne superstes frustra sibi fecerit, neve ingruentem trepidus mortem horreat, sed desiderio Christi libens oppetat, mortemque ut sibi non omnino mortem sed januam vitæ felicioris inveniat, precibus eum piis, lector optime, spirantem precor defunctumque prosequere.



### XIII.

## THOMAS MORUS GERMANO BRIXIO S.

**N**on adeo tenere mihi met, Brixio, facio, ut quod nemini unquam contigit mortalium, id dedigner ac dolcam non contigisse mihi. Quis enim ullo unquam seculo tam inoffense translegit vitam, ut ei nullus aliquando inimicus exoriretur, quum haberet amicos? Quamobrem, quando illud mihi video communī mortalitatis sorte nega-

tum, ut penitus inimico caream; gaudeo saltem fortunæ beneficio, amicos mihi perquam egregios, inimicum vero contigisse talēm, quem neque amicum quisquam velit, neque inimicum curer; ut qui neque juvare benevolens, neque nocere possit iratus. Et tamen mihi certe succenserem, si vel talis merito me odisses meo. Nunc vero eo æquiore animo fero, quod non debito, quin omnibus inelarescat facile, ineptum istud ac plusquam muliebre iurgium, non aliunde quam ex anima tuī morbo natum. Quin eò quoque minus mihi displicet hoc certamen, quod ut nihil inde boni potest accidere, ita, præter chartæ jacturam & temporis, quorum ego neutrū statui multum perdere, nihil alioqui queat alterutri nostrum magni evenire mali; quando tales uterque sumus, ut neque mihi quicquam tu nocere possis, neque tibi quisquam; quum sis ejusmodi, in quo nihil fieri detimenti queat. Qua una fiducia te impulsū video, ut quaquaversus apud Literatos omnes (si qui tamen tam nugaces nugas dignabuntur legere) libello illo tam elegante, tam egregio indolis tuae specimine, morumque tuorum tam gravi teste, temet ipse traduceret, ut qui ante fatis docuisses, cuiusmodi Poëta sis, nunc demum, edito in id libello, qualis etiam viries, ostenderes. Ostendisti vero tam insigniter, ac temet ita depinxisti graphicē, ut ego tot tantaque in re probra spargere, quam quibus tute temet totum oblinis, neque si velim, queam, neque si queam, velim. Et tamen ut ejusmodi laudibus te geltire doces, ea videatur una atque unica via placandi propitiandi que tui, si quis in te fædis velit probris debacchari. Verum ego non usque adeo tuam amicitiam ambio, ut non ea potius mihi dicta cupiam, quæ vel uni placeant bono atque honesto viro, quam quæ trecentis Brixii: eoque præclarā illam ac divitem probrorum tuorum supellectilem, quæ te sic ostentas ac jactitas, haud contrectabo, neque, quoad abstinere licebit, attingam: tantum, si quid in ea fuerit jucundioris insanæ, quod qui perpendet, ridere possit, odiſſe non debeat, eo non gravabor lectoris levare fastidium; quod necesse est multum subeat in legendis ejusmodi rixis, ac nihil unquam profuturis iurgiis. Cætera vero, quibus te conspurcas fædus, aut prorsus valere sinam, aut sicubi cogar attingere, sic attingam leviter, ut omnibus faciam perspicuum, non minus libenter me tua probra contingere, quam tute, Brixii, detegas, ac velut insigne præte feras. Nam quæ vitio vertis mihi, tam insulæ sunt calumniæ, ut non suissem dignatus describere, si non hoc unum duraxat diligere visum esset, quod tu tam frequenter inculcas, quam nunquam probas, hujus tui iurgii authorem esse me. At istud non dicere, Brixii, verum docere debueras. Quod si eam rem satis declarare videbantur Epigrammata mea, ea saltem abs te tuo libello conveniebat adscribi; ne vel illis vi-dereris

dereris impudens, quibus meum carmen non esset in manibus. Et fecisses haud dubie, nisi sensisses è re non esse tua, meos verlus legi. Qui si minus conferantur tuis, etiam si cui videantur alii, quod videntur tibi, tuorum scilicet splendorem carminum reverituri: hanc tamen adversariorum luce fruerentur, ut res redderetur illi: & ipso magis objugatio esse, quam viatos, & tibi non satis commodam animam nunc demum debacchandi rursus arreptam. Quæ res quo fiat dilucidior, quando te libenter obliuisci video, præcari istius duelli caput tibi redigam in memoriam. Sed ita redigan, ut potius omittam quædam quæ ad rem meam faciunt, quare ut ob causam cōmodum attingam quicquam, quod absque gentis cujusquam contumelia tangi non possit.

Quum ergo tumultus esset olim Ludovico Regi vestro cum Romano Pontifice, ac Princeps noster invictus Henricus ejus nominis Octavus, ab illa sacrosancta sede iugatus, labantibus Ecclesia rebus ferre statuisset auxilium; naves aliquot emisit in mare, quæ classem perquam potentem, quam Luovicus adornerat, arcerent atque compescerent. Quæ quum sibi mutuo occurserint, reliquis omnibus utrinquè bona fortuna servatis, due tantum (quæ primo congressu protinus, injectis harpagonibus, ita sunt colligatae, ut tabulatis igne correptis, dirimi non potuerint, triste belli præludium) perierunt. Hanc navalem pugnam, quum tu ita descripisses versibus, non ut vera falsis involveres, sed ut rem ferme tam meritis mendaciis fingeres, atque ex arbitrio tuo concinnares novam: quum Regis nostri pietatem nomine depravares invidiae, Angliamque totam velut fœdifragam atque perjuram, maledictis falsis perquam petulanter incesseres: quum Herveum plusquam Herculeum mendaciis plusquam Poeticis in mare deduceres; quum nostras naves, quibus æquor infraeras, una tu inventus Chordigera, parva comitante caterva, fretus Herleo bellipotente disjiceres, ac veluti muscas quounque tibi libebat abigeres, plerasque vero, fluctibus, homo crudelis, immerges, quas paulo tamen postea Neptunus milericors incolumes remisit domum: quum Regentem nostram, lepusculi more fugientem, tu generosus canis insequereris Chordigera: quum Chordigeram, cui remigii nullus usus erat, validis remigum lacertis impelleres, ne tibi periret operosum illud hemistichium: *validis impulsâ lacertiâ:* quum Hervei clamoso flatu proflares vela; quum navis adversæ ducem, virum magni nominis & loci, præterires tacitum; idque ex arte videlicet: quum Herveum ferme factitum caneres non fortiter modo, verum etiam prodigiouse pugnantem: quum eum in Regentem, in qua nunquam pedem posuit, in medios hostes imperterritum intruderet: quum Regentem, occupatis ejus spiculis, horrenda edita strage, vietam victamque traheres: quum è victa nave non satis observatus in vietricem ja-

ceres ardentes flammæ bolidem: (quæ res fuisset vietiæ vincitque difficilis) quum Herveum adhuc in Regente relictum memoria lapsus (quæ res mentientibus facile solet obrepere) subito velut bicorporem, in conflagrante Chordigera, mediis in flammis, faceres longis logis concionantem, non in aliud (opinor) mortem differens, quam ut interrete, videlicet alumnum Phœbi, suis aliquando fatis Vatem vaticinarentur futurum: quum Heroës universos in cinerem decoqueres, meritoque ad eò decoqueres, qui maluerunt exuri quam in Regentem sese transferre, quam cœperant, quam vitam vitamque trahebant, passisque ad sidera palmis: quum Herveum describeres, suis superstitem sociis, jam jamque evolaturum ad Superos, (nimis quicquid mortale gerebat excoeto flammis, maximeque mortalium, perniciosis affectibus, cujusmodi sunt ira cumprimis & odium) tum demum ita purgatum, divi opinor Laurentii (ad cuius exemplar fortissimi viri pectus effinxeras) exemplo provocatum: captam navem fingeres, & totæ egregia deditorum corpora, per iuvitiam atque vindictæ libidinem, nullo suo fructu concremantem secum: quum demum non homines tantum ac naves usque adeo devorares ignibus, ut ne Deus quispiam è machina (quod fieri solet in tragœdiis) unum saltem servarit in columem, qui te rei, quam decantas, ordinem doceret, verum etiam flammis illis coriperes.

Sidera cum cœlo, cumque ipsis piscibus æquor: nec illud brevi hyperbole, sed pluribus versiculis accuratissime stolidis, pulchre videbilet æmulatus Ovidium, hoc etiam vincens, quod quum ille ab Solis equis absque rectore deerrantibus, orbis fixerit incendium, tu perquam scite scilicet, cœlum, terras, ac mare comburas à conflagrante navicula: quum sic vieto Nasone ferox, Maronem quoque lacesceres, & quoniā is effinxerat demissam à Jove pluviam, quæ flagrantem. Aeneas classem respergeret atque servaret, tu perditis jam atque consumptis incendio navibus, imbre è cœlo copiose deplueres, ne, velut aqua perennis è pumice scaturit, sic ignis ex aqua jugiter eruatus, flamas ejacularetur in cœlum: Hæc ita cum tractares, ipse casu tuum nactus liberum, haud scio, an etiam tum exculum typis, quum tam immania portenta viderem, tam fæda, tam pudenda mendacia, fictiones tam absurdas, purpureos aliorum pannos hinc atque inde insulos illi tuo crassissimo bardocucculo, quibus ne locus non esset, habitum totum in eam compositum formam, quam non sani esse hominis non sanus juret Orestes, uno atque altero Epigrammate me significavi, in narratione tua fidem rerum, in poëmate desiderare consilium, tum plures abs congestos, quam pro horrei tui modulo, alieni farris acervos. Eodem tempore epigramma lusseram in nostratem quendam, qui ut parum tempestive, sic non admodum feliciter, affe-

Stabat gallicitatem. Quo in epigrammate, si quid est mordacius, id in ridiculum reddit affectatorem, non in Gallos; de quibus, ut maxime torqueas epigramma, non aliud excutes dictum, quam quod heri sitis in ministros paulo duriusculi. Quod nec vos, opinor, admodum diffitemini, & ego sicut non infector in vobis, ita, quum fui cuique genti sint mores, in illo nostrate displicuit, quod apud nos, præter consuetudinem nostram, durius tractaret vestram. Hæc ego quum illa tempestate scriberem, qua belli fremitu flagrabant omnia, etiam si quid asperius mihi venisset intentem, non credidissem certe, nec tam iniquum quemquam, nec ipsum te tam improbe faventem tibi, ut libris in nos debacchati, tamen exigeretis a nobis, ut in versiculo quidem viceissim tangeremini. Quantobrem si ego prior in re scripti, provocasse convincar; sin tu prius in nos, quid habes quod isti tam in honesto facto possis honeste prætexere, cum ipse librum epigrammate rependeret, tu rursus epigramma jocotum tetralaris, mitum quam virtutento volumine? Ad hæc, cum ego statim illa trea, rebus nondum pacatis, luerim; tu nunc tot annis postea, in summa pace, arctissima necessitudine conjunctis Regibus, initia concordia conglutinatis populis, post lancitam sanctissimis utrinque ceremoniis salubriterim \* \* \* nunc exortis denique; qui topitas atque obliteratas similitates renoves, coalecentia divellas vulnera, & obductas cicatrices tefrices; qui nobis in os ingeras fædis nostrorum fugas, dispersas & obrutas classes, invidiam, fœd' frag' perjurias; quas tesipic fæde confingas. Atquin hæc abs te omnium videri vis concinne fieri, quod me strenuus videlicet nunc aggredieris, qui tecum sim olim aliquando latratus. At cui non perspicuum est, quam ridicule sit facturus athleta, qui prodiens in palæstram, semelque universos provocans, quum forte sit dejectus a quopiam, tandem soluto cœtu, dimisoque ludo, aliquor post annis redeat denique; atque rebus animisque omnium immutatis, & in quidlibet potius quam ejusmodi certamina versis, inopinus assiliens, antagonistam, quodcum olim luxatus est, deridente corripiat medium, provocatum etiamnun sese clamitans; quasi vel provocet qui provocanti respondeat, vel initiam semel certamen duceret æternum? quam ridicule sit, inquam, ejusmodi facturus athleta, cui nos est petipiūt, etiam si fors congrediatur superior. Quod si sic insiliens, cum huc atque illuc verterit sese, brachiaque jactans acribas, alios ejectis pugnis, alios calcibus ferat, atque in his fortassis euam prioris lodi agnotheras, denique ubi diu frustra lete torserit, quam pro-

sternere non possit adversarium, ne frustra processisse videatur, in vultu conspuat, crapulaque ac sanie rotum ebrio ejecta stomacho convomat, itaque gestiens, tanquam re præclate gesta discedat, egregium scilicet triumphum in ganeis ac popinis acturu; hiccine palestrita coronandus? an dignus potius fuerit, cui talos aliquis & crura perfingat? Jam quis non videt, Brixii, quam tu sis huic athletæ similis? Quoniam hoc fortasse dissimilis, quod non athletico certamine, totam gentem nostram, sed hostilibus provocati conviciis; nisi forte contendas, perjurum non esse habendum pro contumelia, quod simile est ac si disputes, asinum non habendum pro quadrupede. Quia in provocatione quum ego tecum uno arque altero telo, sed exarmato, non tam dimicarem quam luderem, (nam is videbare, quem non esset opera pretium laedere) tamen nescio quo pacto (ut facile penetratur pustula) tanto cum dolore ictum recepisti, ut nunc detinum tot elapsi annis, toties facta firmataque pæce, tam multis modis constabilita concordia, tain necessaria junctis affinitate Principibus, (quæ res una debuit inter utriusque populos pristinas omnes similitates tollere) tu tamen, tanquam neque prior provocass, & adduct' durarer bellum, in me repetit' et rursus insutgas; & omnibus in amorem, amicitiam, societatem, ac jam quoq; hospitalitatem mutuam intentis, hostilibus armis invadas, & tellis non acutis admodum, sed (quod amplius est quam inter homines non omnino barbaros ac sylvestres bellij jura perniserunt) impetas venenatis; non stupide minus quam improbe clamitans interim, te prodite provocatum, tanquam responditurus es ad ea, quæ nos in te, dum tibi responderemus, injectimus: quæ certe fuerunt eiusmodi, ut ea respondendo non possis, quantumlibet fiducias, effugere. Quod quum verum esse sensisses, sic instituisti libellum tuum, ut tu atque defensib' timide, ac velut obiter attingens, totus in me confodiendum convertereris; qua in re quum quicquid tibi vitium fuerit, intehderis, quid aliud effecisti denique, quam ut effutitis infacetis facetus evomito furiali venendo, me tandem, quum non potuisti laedere, ne nihil egeris, perspissi; atque ita demum discessisti vietof ac triumphato egregius? Verum in me quam lepide dicax fueris, mox videbimus. Interea pensitemus isto tam operoso libello, in quo elaborando plures perdidisti dies, quam liber habet versiculos; quanto cum artificio quæ tibi sunt objecta dilueris. Ego igitur quum in te taxasse alia surto tubrepta veteribus, alia per absurde tractata, omnia deniti; sic abs te narrata, ut neque in tebus veritas esset, neque in verbis fides: ad primum sic respondes, tanquam ego sim criminatus, quod tui versiculi tantis redoleant antiquitatem: a quo ego criminare (ne quid excusando te torqueas) facile te absolvo. Nam quod idem crimen alibi rursus artifex obiter, rursus dissimulas objectum

futum, rufus velut objectam æmulationem defendis, ac non contentus si reprehensione careas, laudem etiam ab te tam illaudata vendices, quod ita videlicet veteres æmulatus sis, quod eorum assidue vestigiis inhæseris, quod Herculi denique clavam è manibus eripueris, non potui hercule sine risu legere è facto tam pudendo tam magnifice vindicatam gloriam. Nam quum ornatio pessime sis imitatus, quum aliorum vel hemistichia, vel integratos versus, uno interdum verbo male coenaturato, interdum ne commutato quidem, passim usurpes pro tuis, hoc non est, opinor, æmulari, Bixi, sed contaminare, fædere, polluere; hoc non est Herculi clavam vi eripere, sed repositam furtu subripere: quanquam negare non possum, quin hoc sit veterum inhætere vestigiis. Verum enim vero, Bixi, nimis inhæres importune, quum sic inhæres vestigiis, ut, eorum decutias calceos, quibustuos pedes haud aquaquam æquales obvestias. Nec tibi satis patrocinii fuerit, si quid tale de se dixit Virgilius, quale tu de temeritate: (neque enim cujusque est Corinthum petere), ille de se dixit, quod abunde præstis; tu de te gloriaris in eo, quod præstare non sufficis, nisi simile putas esse pereuentes Enni versiculos Virgilii poëmatis æternum victoris inserere, & æternos Virgilii versus tuis insulcire pereuntibus: illum aliorum carmina interclusisse melioribus; te splendidissima quæque vetustiorum sordibus immiscuisse tuis: illum sic certare cum Græcis, ut ubique sese parem prober, plerumque etiam superet; te cum Latinis congressum non hoc agere, ut æmuleris aut certies, sed ut ex insidiis aliquid auferas, quod in tuam suppellestilem conferas integrum, si clam fore futrum spes: alioqui, velut equi furtivi, cœdam atque auriculas amputas, ut vel deformato possis uti potius quam careas. Quia in re adeo te industrium præbes ac plane frugi sum, ut frequenter ne vel hemistichio alieno contineas manum, si quod tibi videatur exigere bellum, mite absurdæ commenta, fictiones ineptissimas, quas locus aut res neque petit, neque patitur, à cœlo ad terrasusque, sed quæ neque cœlum (quod ajunt) neque terram attingant, accersas. Quod si in explicanda pugna, si tempestate repræsentanda, vel si quid aliud erit ejusmodi, veterum quempiam proponas æmulandum tibi; sic illius verba pleraque, sic versus plerumque totos, in versus inculcas tuos, sic quicquid variaris, immutatas in deterius, ut si quis partes conferat seorsum, hinc nihil illi similis, hinc ille ipse videaris. Sin utrinque simul compleetur totum; tum vero videri possit, ita quapiam Superorum, mira metamorphosi, pulcherrimus heros quispiam in ridiculum commutatus simium.

Ergo quum objecta tibi tua farta ratione tam elegante, nempe dissimulatione, diluisses, ad tam pudenda mendacia, (quibus Chordagera tua non aliter scatet quam cadaver vermisbus) velut Ajax clypeum aut Palladis ægisda, poëtices opponis privilegium, quo videlicet

historica lege tradendæ veritatis eximitur. At ego profecto, Bixi, ut poëticien augustam fane ac perquam liberam, divam, non adeo angustis limitibus obseperim, quin ut verborum, ita rerum quoque singendarum detur licentia, modo sumpta pudenter; ita plane non patiar, ut quidlibet impudenter ementiens, idemq; tractans absurdæ, rotam terum seriem, atque adeo summam invertat atque demuter. Quam si alioqui statueris omnibus protus Historiæ legibus tam absolute liberam, ut & debellasse canriter, qui non conflixerint; & vicesse pronuntier, qui victi sunt; hostesque fugasse, qui fugerint: jam non Didonis tantum miseranda fata (quæ tu pro fictis affers) irriserimus (quæ nescio an tatis confutata, certe trahuntur in dubium non sat indubitata fidis autoribus) vetum etiam falsa esse bella omnia, falsa si & q; conjugia, aut Æneam certe à Turno, Turnum à Pallante superatum, omnia denique contra gesta, quam sunt à Marone tradita, crediderimus. De Virgilio videlicet accedentes tibi: de Homero vero Dioni homini tam infenso Poëticæ, ut totum Trojanum bellum contendere, atque ipsam propemodum Trojam, figmentum esse Homericum: idq; obstinate contenderit, infinitis vicis argumentis. Quod non alio consilio fecisse videtur, quam ut idipsum infensus ageret, quod agis nunc ipse propitius; hoc tantum diversus, quod quam rem ille studio combatur, ut nemo Poëtas habere in pretio, hoc tu procures imptudens, non faber fabro invidens, sed arti protus ipsi suam invidens gloriam, ipsique adeo tibi tuam, si quantus habere postulas, tantus vere vaues es, cui annon præcipiam gratiam decusseras, si nemo sua facta dignabitur poëticis versibus commendari memorie? Nemo certe dignabitur, qui mentem habeat, qui quidem habeat persuasum, habenda pro fictis omnia, quæcumque Poëta cecinerit: idque eo fatente ipso cecinir.

Cæterum hac in parte (ut vere tecum loquar ac libere) non unus es, qui res nobiscum gestas à vobis, si non falso recenseas, (nam id dicere apud tam teneras aures religio est) at certe nimis recenseas libere. Prodiit opusculum Pillei Turonensis satis canoris versibus. Nam reliqua libens prætero, ne is quoque se provocatum clamiter; cuius in libello tamen quisquis adverterit, irre narranda quam passim utatur Brixiana poëtice, quam honoratis titulis nostram exornet Angliam, quam venerandis epithetis inclytas honestet Hispanias, is opinor certe judicabit, si quis Pilleum, aut Hispanus, aut Anglus, non tantum epigrammate remordereret, nihil habiturum causæ Pilleum, cur se queratur lacescitum esse, quum prior læserit. Quod si quis tam iniquus esset ulquam, ut contra sentiat, non dubitassem, vel ipse eam subiisse calumniā, si liber olim mihi venisset in manus. Nunc vero non est consil. antiquatis amicitia nova simultatib. tumultuari de integro. Quæ obrem omisso libro, titulus tantum proponam; cum, ut ex ungue licet æstimare leonein; tum ut si cui libeat legere, nomen habeat saltum, quo vestiger

vestiget librum. Is ita inscriptus est : *De Anglorum & Gallis fuga, & Hispanorum & Navarra expulsione.* Quis non vel absque cerebro divinet facile, cuius farinæ reliquus sicut liber, quum istiusmodi furfuris legat titula, qui cum reliquo libro tam concinne concinit, quam ab historia tota discordat? Nam quis non rideat, quod Anglos prælio jactat, è Gallis esse fugatos? Quos opinor satis constat (ut nihil amplius dicam) certè non fugatos è Gallis; quod si fugatos sentit ab Aquitanis, quomodo fugari poterat ab iis, cum quibus nec eo ventum est, ut liceret congregari? At istud multò adhuc magis insigniter est ridiculum, quod Hispanos bucinet Navarræ possessione depullos, qui Navarram tum ingressi, perpetuo post possederint, hodieque possideant. Sed donentur ista Poëticæ, qua Pillei Musa, quod ad fictiones attinet, ita belle referit tuam, ut nulquam terrarum sit simia simiæ similiors. Quin & is opinor hanc obtundet poëticen, per quem haud ita pridem Parisiis exclusus est *fasciculus temporum*, verè comburendus fasciculus; ut in quem congesta sunt ligna quædam, quæ nisi noster Princeps tam bene sibi conscius esset, ut se suaque facta non dubitet clarius latiusque testata, quam ut sint obnoxia latratibus invidorum, potuissent aliquem fortassis ignem inter duos populos accendere. Nam ei libello cum alia quædam nuper indita sunt seditiona mendacia, cum coronis adjecta multo seditionissima; qua legitur Princeps vester jam abhinc bieñio fuisse moturus adversus Turcas, nisi ei fuisset infidelitas Regis Angli suspecta. Quis hæc ferat, qui nō dicit, neque de tali expeditione tum fuisse cogitatum vobis, neque quenquam aut minus fuisse suspectum Principi vestro quam nostru; aut qui minus commiserit, quare suspectari debuerit? Jam quid illo scriptore vel dici vel fingi potuit impudentius, qui vestra lingua perscripsit, Jacobum Scotorum Regem, interea dum Rex noster in armis esset in Gallia, Britanniam ingressum, rebus feliciter gestis, ingente cum gloria se se recepisse domum? Nec reveritus est scriptor improbus, totius orbis conscientia, qua satis superque cognitum omnibus sciret esse mortalibus, fusos fugatosq; Scotos, ipsum Regem cum tota ferè nobilitate peremptum, corpulque ejus, quod moreretur Christianæ communitatæ expers, insepultum jubente Pontifice tot annos adseratum.

Hæc atque alia quædam ejusmodi (quum hoc subinde proficiuntur istinc, tamen postquam tam alta pax coaluit, maluimus conticescere, patique potius ingestas indies contumelias, quam cum aliqua animorū offenditione regerere; simul sperantes fore, ut Paulus Aemilius, tam sanctus & incorruptus enarrator historiæ, ut jurejurando putes obstrictum, tam elegans, ut nisi recentiora scriberet, videri possit haud infimus antiquorum, res utriusque populi (quas quidem inter se gessere) sincera fides aliquando traditurus posteris. At tuus liber quando mihi jam tum in ipso rerum tumultu

suit oblatus, haud quaquam existimavi majoribus victimis expiandū piaculum, si librum eum, qui & tam acerbis esset & impudenter mendax, epigrammate faktem per ludum jocumque perstringerem. Et tu tamen, qui (ut es undiq; mire facetus) ludis in dominationem meam, nisi qui te attigerim, me vicissim tangi paterer, quum totam gentem meam & conviciis improbis & mendaciis impudentibus prior exagitasses, tam indigne tulisti, vel joco contra tangi sacrosanctam majestatem tuam, ut annos aliquot in hoc unū torus perdieras ac pernox incubueris, ut aliquando posses accurato volumine cum epigrammate plus quam extemporali configere. Qua in re quum duo tibi proposueris, primum, ut tua defenderes, deinde ut invehereris in mea: alterum tam præclarè præstitisti, ut ex his quæ tibi objecta sunt, alia dissimularis, alia non intellexeris; illud vero quod magis erat, quam ut præterire, notius quam ut dissimulare, verius quam ut evitare potueris, tamen definitione declinasti commode, ut quicquid ego te mentitum argueram, tu non mentitum quidem te, sed finxisse contenderes. Quamobrem quum hoc congressu sentiam tam acutum esse te, ut tenedias bipenni fictum à falso discesses, hoc est, ita temet erroneo mendacio explices, ut implices ultroneo, haud amplius tibi molestus fuet, quin hac sane parte perliceris: modo hoc unū inter nos conveniat, quod alioquin juratis evincam testibus, qui abs te exulti, adhuc supersunt tamen, tuasque fictiones arguunt atque derident; conveniat, inquam, excepto duntaxat hoc uno, quod unum poteras uno clausisse versiculo, nempe quod duæ naves incensæ sunt; cætera quæ volumen tuum tanto decantat hiatu, esse abs te ficta omnia. Nunc igitur à tuis castris ita rejectus, atque depulsus, impellor ad mea tutanda refugere. In quibus horreo, ne tam acrem hostem, tam indigne provocatum, tam capitaliter offensum, tam recente victoria ferocientem, ab suis usque munitionibus, à me tam ignaviter oppugnatis, ab illo defensis tam fortiter, ad mea usque castra me persequenter, quæ ego tam effusa fuga repetiverim, nequeam sustinere. Quod quo magis exhorream, machina illæ tuæ me commovent; quibus in me tam valide non ista torques minutula, quæ quum conjicerentur in te, ne declinare quidem ferme dignatus es. Veterum compilatos versus canoris nugis insertos; ingenii stuporem tenuibus verborum bracteis (per quas pellucet totus) obductū, & (quam laudi quoque ducis tibi, modo vocetur fictio) mendacissimā petulantiam: sed barbarismos ac folcemos, & non satis consistentes syllabas: res bone Deus, quam atrocēs, quam impias, quam (sicū illis conferantur) inanæ! Nam quæ re objectas: ista sunt, cæterum verbis & coaviciis metris, stultum, insanum, furentem vocas; idque plus quam centies: sed ea convicia sunt Moplopīi sales tui, in hoc adhibiti, ut insulsum per se libellum tali condimento redas insulsiorem. At syllabis illis & folcatis omnino me fortiter oppugnas ac stringis.

Sed est adhuc, Bixi, quiddam, quo me constringis durius: verum tu profecto præter æquum ac bonum durior; qui non oppugnasse contentus, postules præterea, quo me armorum genere defendam ipse præscribere, ita pro imperio jubes, ne quid ex iis, quæ tu impingis mihi, rejiciam in Frobenium. Quia in te vide quam sis incivilis, atq; adeo injustus etiam: qui quum scires opus impressum esse Basileæ, quum ipse morarer in Anglia, nec dubitare possis, quin eo tempore fuerim occupator, quam ut mihi licet ē Londino Basileam quotidie bis transcurrere; quicquid errati tamen inveneris in opusculo, potius quam excusori quicquam imputes, omnia improperare malis authori. Enimvero si legem, quam in te tulisti, ferre debes & ipse, futurum non dubito, quin si quid tuorum posthac excludatur uspiam, ubi tibi non sit accessus ad impressorum pælum, satis in te nobis hujusmodi ministrabis telorum, qualia nunc in nos tanquam unoquoque plane transfixurus intorques. Cujus rei satis insigne documentum hic ipse quoque libellus exhibet, quod mihi tam ferociter aliena impingis errata, ut interdum etiam impingas tua, qui quum excluderetur adfidente te, & subinde raptas à pælo formas reformante, tamen absoluto volumine, si non aut tutè librarii lapsus emendas, aut alias quispiam tuos, futurum fuerat, ut errores nequé pauciores neque minus ferendos tuos haberet liber, quam quibus nunquam insulte sic insultas in meo. Quānquam nē nūc quidem ita repurgasti tuum, quin hinc atque inde nōnos aliquot quovis fædiōres Polypo reliqueris. At ego hac in te sic meā causam tutari possum, ut nec in Frobenium quidem ullam culpam derivem, etiam si ipse literis ad me datis, à suis cessatum op̄etis fatetur, ac pollicetur, se diligenter exculatum deitio. At ego certe quicquid esset, etiam si corrupta quādam sine mea culpa videbam, illi tamen protinus imputare non poterām; conscius exemplar à me nullum, quod sequeretur, acceptissime. Frobenium: neque enim eorum ego carminum, præter ea quibus Regini auspiciā veneratus sum, eaque quibus in te luseram, vel edidi fere quicquam, vel edere adhuc decreveram. Quod si vel amici mei, vel pueri sibi descripsere libellum, aut apud me servatum negligenter, aut apud quempiam fortasse, cui non in hoc credideram, atque ita contigerit, ut quibus liber adriserit, putarint evulgandum: neque miri quicquam est, si aliquid mendarum substruxerit Scriptor, aliquid adstruxerit Typographus, exemplari videlicet usus & corrupto nonnihil, & fortasse perplexo. Neque æquani ipse feceris, si vitio vertas mihi, quicquid alienus uspiam vel error vel incuria perverterit, atque ex aliena imperitia me condesmnes inscitæ: nisi protinus pronunties illiteratum, & doctis prorsus omnibus explodendum, si quis indiligenter ocluserit literarum suarum capsulas. Quod si dubitari non potest, quin alienis mendis infectus

sit liber, utpote & excusus typis, & ante non ab uno transcriptus, haud facile adducor ut credam, quin & ipse me tacitus absolvas apud te, de quibus apud alios tam aperta calumpnia traducis; sin tibi penitus infederit fixa atque obfirmata sententia, quicquid inemendatum reperisti, vitio prorsus id contigisse meo, quid aliud, quam latèrem laveam, si tibi me purgare contendero? Vide ergo, quām civiliter agam tecum. Etenim quanquam (ut vides) possum apud æquos obtinere judices, ut quæ mihi impingis, eorum pleraque deriventur in alios; (nisi quæ res nulli unquam libro contingit, nūquam ut Typographus, nūquam Scriptor erraverit, id nunc detinum contigisse videatur meo) tu quānquam, in quibus ut certissimis exultas maxime, in his te vel calumniai maxime, vel certe maxime falli, certissimis mihi licet argumentis evincere; partim productis authorum testimoniis, quibus erit perspicuum recta esse plurima quæ reprehendis; partim prolatis illis ipsis chartulis, quibus olim edidimus pauca illa, quæ diximus, quibus liquidum constituerit, aliter à me composita quædam & edita, aliter post excusa Frobenio: sive id exemplaris cujusdam perplexitate contingit, sive evenit incuria, sive è meo descriptenti libro placuit Scriptori quidpiam, quod ipse interlito versu mutaveram: quis enim satis divinare possit, quām multis casibus irrepat mendum, aut qua fortuna propter modum omnibus obtingat authoribus, ut vetustis etiam collatis exemplaribus lectio noninquinam variet? Quānquam hæc, ut dixi, possum; ego tamen, Bixi, quandoquidem tu tam civiliter temet in te tuendo gessisti, ut in eam rem nihil fere prorsus attuleris, quod quidem ad rem pertineat; seu te ingeniūs quidam sic obstupescit pudor, ut non posses cogitare proloqui; seu festinatione præpeditus es objurandi mei: statu tecum simili contra civilitate contendere, & quod ad errata pertinet, hujusmodi defensionem meam in præsente prætermittere, utpote cum erga te iniūliem, cui nullo posset unquam pacto satisfieri, tum erga ceteros omnes minime necessariam, quorum ego nieminē fore suspicor, etiū tu persuaderis, ea mihi prorsus imputanda, quæ taxas: sed lector æquus hæc dubito, quiss quidvis potius comminiscatur ex se; quam ut me præsumat tam insignter insculptum, ut neque positionem in carmine, neque sollecitissimum sermonē cogitoscam. Quod si mei lapsus esse vincentur maxime, tamen quando ipse librum tuū edidi, (quæ tes manifestior est, quam ut liceat tergiversari vel tibi) quo jure possis objicere, si quid adhuc meditanti subductum est atque vulgatum ei, qui dicere possit illud Ovidii:

*Emendaturus, si licuisset, eram?*

Quo mihi versu, si cuiquam alii, meritissime licet uti: nam ego totum librum, præter ea, quæ jam olim edideram, pressurus eram perpetuo: ut qui nec illa ipsa fueram editurus, nisi litera-

literioribus, quam ipse sum, magis adrisserent quam mihi; cui nihil meorum unquam falsum visum est admodum, nisi quod nunc ex tua bile sentio aliquid habuisse salis, quo frictus es. Quod si librum aliquando publicare statuisse, certe quædam immutarem, non quod errorem syllabæ tam valde magni penderem, sed quod essent aliqua minus aliquantum severa quam velle. In syllabis vero si quid hallucinatus essem, quanquam non fuisse genavatus emendare, tamen in una fortassis & altera, non minus anxie me torsisse, præsertim sicubi commode mutare sine sententia damnò non possem; quandoquidem non eos duntaxat authores, qui tanto te doctrina superant, quanto tu illos superbe despicias, verum vetustissimos quoque non usque quaque servasse reperio eodem tenore semper easdem syllabas, quæ ex re natu est nimis acerbus ille cothurnium. Postremo vel eo minus hec me remordet cura, ne quis ea putet mea esse omnia quæ tu carpsi, quod in his ipsis videam non nihil ejusmodi, ut quanquam non sit meum, tamen pro meo me non puderet agnoscere: neque quicquam dubito, quin cuique inter legendum succurrant exempla, quibus eorum pleraque, quæ tu pro foliis in nos adnotasti, reperiuntur pure hucque Latina. Porro, futurum denique, ut si quid reprehendisti rectius, id in me tamen certe non possis impingere; qui nec aediam castigationi, nec librum prorsus edidi. Contraria vero, in quibus ipse aut deciperis, aut calumniaris ulro, quæ sunt haud dubie supra dimidium, temet ipse traduxeris, vel ignorancia vel sycophantia, utrobique certe insignis impudentia; qui tam superbe, tam nulla causa, tam longo tibi expensa tempore, ad eum scribens, quem jam secundo provokes, atque ad inquirendum in te quoque arrogans ac securus excites: tamen tam multa, quæ recta sunt, vel imprudens per inscitiam, vel per invidiam prudens, reprehendas. At tu quum hunc ad modum strenue mea omnia velut uno deflavisti spiritu, de te securus, & meras efflans glorias, jubes ut excutiā vicissim tua, nimirum certus, ita tibi pulchre instructa omnia, ut ne Morus quidem vel syllabam possit inventire, quam vellicet.

Ego profecto, Brixii, multo velim libentius eos libros excutere, è quibus aliquid excuti possit boni. Quanquam & hunc tuum, etiam si nihil inde frugis vel expectavi vel reperi, tamen, quoniam in me scriptus est, eo legi studiosius, quod quæ mutari conveniat, quæ vel amicis interdum commendat amor, vel ne quod offendit obtinet, ea plerumque solet inimicus iratus effundere. Itaque sic attentus legi, ut, quo tu me vocas, (nempe in syllabis excutieatis esse curiosus) eo nusquam respexerim; si quid vero inesset rerum, id certe non indiligerenter expenderim. Et tamen quantumvis abhorream ab eo, ut otiosus

occuper auctoratio syllabarum, cerre monosyllaba illa mens, quam in Chordigera desideravam, in Antimoro quoque sedulo quæsita, nec mihi tantum quæsita, sed multis, adeo nusquam inventa est, ut libelli titulus, etiam si brevis, tamen videatur omnibus dimidio longior esse quam debet; opusque tuum, non *Antimorō* appellandum, sed *Morō*, ecque justius, quo tu insultus in meum nomen affectas haberis sallos, quasi non in Hermolaum Barbarum fortuna dederit hoc scurrandi genus, vel impense barbarus, & Thomæ Mori nomen Germano Brixio, qui vere germane que Moro sit vere germaneque Germanus. Eum ego librum quum perquam attenus inspicrem, nihil aliud vidi, quam delira convicia: quæ vel recte scripta reprehenderent, vel mihi alienos lapsus objicerent, vel tuum caput recta repeterent. Porro multa tam belle competebant in me, ut potius quadrare videantur in quemlibet. Latratus audio plusquam caninos, sed elatratos inaniter; morsus plusquam rabidos, sed quitemet unum mordeant; virus plusquam vipereum, sed uni tibi noxiū. Quæ quum sint ejusmodi, non miror admodum, vereri te ne forte non sustineam legere, quæ nemō certe durare queat ut perlegat, nisi hæc omnia (qui Brixii lepros) amoenis condulcarentur deliriis. Quæ mihi tam vehementer in Morico isto arrident Antimoro, ut quum primum mihi dabitur otium sim curatur, ut accutatus aliquanto, quam nunc excusus est, excuditur deuuo, fortassis & illustretur commentariis: tantum abest, ut isti gloria tuae invideant, qua tibi factus videre Deus, si Mori despudibile tibi nomen exhibiles, ac venerabile nomen Brixii libro isto tam elimato, tam eruditio, tam lepidio, tam festivo, tam sacro denique, æternæ consecrariis infamiz. Cujus libri dotes admirandæ, ne quid oscitantem forte lectorem lateant, nos exempli causa quædam indicabimus, ut his, veluti stimulis, excitatus, penitus in librum penetreret, atque adverteret attentus, quam lepidi joci, sales, deliciez, mel & saccharum, ac plane lacteum suadet flumen ex amne Gallo scaturiat. Exordiar igitur, unde tu exorsus es, ab heptasyllabis illis, quos scriptisti Macrino. In quibus tanquam in operis frontispicio insignem stuporis tui titulum præscripsisti. Nam quum initio Macrinum stentorem tibi fecisses Homericum, eundem etiam Nestorem, olim Poëtam optimum, jam vero & Oratorem derspente prodeuntem, tam venustum, tam vehementem, ut sua suada, cui tot charites, tot leporis Venus afflaverat, ita quolibet tuum propelleret animum, ut illi reluctari non possis flagitanti, uti quam primum exiret Antimorus, eoque ipsius auspiciis volumen emiseris, cuius hortacibus non valuisti resistere: paulò post oblitus tui, negas eum unquam flagitando atque orando extorquere potuisse, ut elephantinus ille præclarus partus edeturante completum novennium. Verum ne Venus inventi tui deperiret tibi, libellum tam venustum supprimenti diutile, quando scom-

mata nisi statim retorta non habent gratiam ; coactus es properare , & quo libellus adversus epigramma posset subito paucis annis exire , necesse tibi fuit singulis fere biduis singulos versus absolvere . In quibus quam ne tantulum quidem tibi suffragetur ingenium , ut vel primam paginam potueris eo tenore progredi , qui in tibi statim tam insigniter excideres , ac memoria lapsus ipse sic pugnares tecum , ut quem tam potentem Oratorem feceras , qui te in suam sententiam impulerit , eundem proximo fere versu diceres nihil persuasissime ; cuius impulsu liberum te scriperas edere , quando videlicet non potuisti tam mellita suadere restitere , eum protinus affirmares nunquam tam commode potuisse dicere , ut liberum tibi possit elicere . Quum igitur , quod dicebam , Brixii , in ipsis offendis foribus , & tamdiu limatis ac relimatis versibus , tam longo labore , non alia scribas deliria , quam quae subito solent effutire moriones ; quis non assentiat illis versiculis , quibus lectorem tibi velut voluptatis illecebra concilians , promittis ei parvo è carmine sedulo legenti magnam demum voluptatem fore ? Erit haud dubie , nisi quis adeo sit agelastos , ut ne ad id quidem rideat , quo uno fere movent risum hi , quibus natura negavit ingenium : nempe nihil ut dicant quod consistat secum , sed diversa omnia atque pugnantia , tanquam vigilantes somnient . Quanquam nondissimulabo , esse quidem , qui putent non esse stultum istud , sed nasatum , tanquam lepide volueris irridere Macrinum : quem tam dulcem Oratorem , tam vehementem facias , ita denique tibi vim adferentem sua suaviloquentia , ut quod unum tibi venusta illa Suada suadeat , persuadere non possit . Ego certe non ita suspicor . Nam & is videtur Macrinus esse , qui tuo sit amore dignior , quam quem ridere debeas : & reliquus liber ad diversam longe virtutem proprius , quam ad ejusmodi vafricies accedit , eoque causa non erat , cur arte sic laborares tegere , quamdiu tibi tuus liber haesit in manibus ; nam ut scommatibus gratiam deterit mora , sic istius generis omnia tempus & labor commendant admodum . Nam si quid dicas insigniter stolidi , id quo maiore conatu parturieris , eo pepereris gratius . Quin mire facetum & illud , quod veritatem quoque tuis mendacis afferis iterato mendacio , dum rursus Herveum servantem facis patriam , rursus victorem tua tuba buccinas , rursus nostras rates agitantem vexantemque decantas , quæ tam vera sunt omnia , quam tu . Jam vero probatio , quam adfers , mirifica est : ais enim ea , quæ narras , Anglorum testata funeribus . Si aliorum funera loqueris , quam qui in Regente perierunt , tam vera sunt illa funera , quam vera fuit illa victoria ; sin eos exprobras peremptos , quos Regentis incendium absumpsit , non adeo stultus sum , ( quantumvis tu me stultum voces ) quin tuum istud acumen sentiam , pistillo quovis obtusius , quo sic nobis exprobras existam navem , quasi dum arderet nostra , vestra interim alserit ,

aut quasieo victorem probes Herveum , quod etiam prior arserit . Hoc Brixianum acumen est : hæc est Brixiana victoria . Sed operæ pretium est videre , quanto cum artificio træctes eum locum , in quo ego inter Principis nostri laudes commemorando restitutam ab illo reformatamque Rempublicam , quorundam ante sceleribus , avaritia , rapinis , delatione , calumniis deformatam . Ergo quam statuisse nihil meorum relinquere ab ineptis intactum calumniis , in hunc locum præcipue tumultuaris ineptissime ; hunc miris merisque sycophantiis exagitas : in hunc præclaras omnes atque admirabiles effundis ingenii tui virulentias . Hic temerarius tibi visus sum , qui rem tantam , meis viribus tam longe imparem , sim ausus aggredi . Quasi mihi Principis enarrandas laudes omnes defumperim , at non potius , quod erga Superos quoque , citra culpam , pro suo quisque facit affectu , id ipse fecerim in venerandis Principibus , ut tam felicia Principatus auspicia , primo statim die tam salutaria , quam idem certatim facerent omnes , ego quoque pro mea virili , qualicunque poteram carmine , concelebrarem . Quia in re ut nihil dubito , quin & uberioris laudari potuissent à peritioribus , & dignius à præstantioribus ; ita neque meo satisfecisset officio , quod fecissent alii : neque mea carmina cuiquam obliterunt , quo minus & alii fecerint , & quibus facere libuisset , licuerit . Denique quisquis jusserit à nullo nostrum laudari Principem , nisi qui parem præstare se se tanta rerum moli posset , is admirationis prætextu , Regis virtutibus invidet ; quas quum omnes prædicare debent , omnes semel jubet conticescere . At hic Apellem nobis ( si Superis placet ) revocas ab inferis ; quod quidem tibi facile est , si , quemadmodum scribis , tam familiares habeas infernales furias ; ipse tam egregius pictor interim , ut quum istud in primis ei sit curandum , quisquis os cujusquam pingendo velit exprimere , uti eas partes , eum respiciat situm , qui ita sit cuique proprius , ut is representatus faciem reddat maxime cognibilem ; tu sic depingi Regem postules , ut amabile decus reverendi vultus , idque adeo tam rarum , ipso suum , quoque uno maxime possit agnosciri , delere prorsus è pictura juheas . Nam tibi cæco prorsus pictori , videor vel stipite plane stupidior , qui non præviderim , eas fuisse laudes omittendas , quas fere folas , vel publica causa , vel sua , Principem referebat audire ; utpote tales , quas ( ut fateor ) non fuisse Brixiano more poeticas , qui nihil poeticum censet nisi fictum ; ita nemo fuit Anglorum , qui non suo bono senserit esse veras ; nec quisquam adeo sine sensu vivit , ut non sentiat esse vere regias , nisi tu nobis aliud invenias magis regium , quam regnum ab omni parte faticens reficere prosperumque rursus ac felix reddere . At nec præsentis honor Principis quicquam decessori detrahit ; cuius

eujs adversa valetudo fuit in causa, ne annis aliquot ante mortem proximis, vel publicis rebus posset, vel domesticis sufficere: eoque, nec mirandum, nec ipsi certe imputandum, si quorundam perfidia, quibus ille nimis credidit, sic labefactata respublica, quam filius ejus fere collabentem feliciter exortus erexit; idque tam celeriter, ut correptis coercitisque repente maleficiis, quorum celere calamitas illata fuerat, omnia reformarit illico, priusquam se pateretur insigniti diadema. Nec sibi visus est, neque fano certe cuiquam contumeliosus in patrem, quod illius valetudine, aliorum malitia, laborem erigeret patriam, aut quod severè animadverteret in eos, quorum perfidia, in patræ perniciem, fefellerat patrem; aut quum quædam etiam patris instituta, quam non incommoda populo, majore tamen commodo rescinderet, bonumque mutaret in melius. Et ubi videtur immanis impietas, si quod patris felicitati negavit morbus, hoc filii statim regia virtus effecit, si patræ compilatores, deceptores patris, eversores legum, in patræ bonum, in legum robur, in patris honorem coercuit; aut si quid denique prudenterissimo patre prudenterior filius, in administranda republica vidit acutius? Quæ quum Princeps ageret non ad præsentem tantum rerum statum feliciter, verum in futurum quoque tam salutare lanciret exemplum, ut facile dedararet se se principalius esse artium omnium Principem, non fuisse profecto, quo minus ea laudarem, etiam si culpa quæpiam recidisset in patrem: nec à nobis unquam tantum patris impetrasset pudor, ut ejus facti laudem subriperecet filio, quo facto nullo unquam seculo princeps ullus quicquam fecit laudatus, aut quod magis publicæ interesseret rei commendari memoriæ. Nec fortunæ unquam tribuisse tam tam, ac ne naturæ quidem, uti vanum alterutrius fulgorem, tam inclytæ virtutis veræ præferrem gloria. Quibus enim parentibus nascamur, illis in manu est; virtus una vere commendat bonos.

Nam genus, & proavos, & qua non fessus ipsi,

Vix ea nostra voco:

Qua Naslonis sententia neque Maro quicquam, neque Homerus, quos opponis mihi, aut verius unquam dixit, aut salubrius. Quorum etiam utrumque valde suspicio, nunquam tamen hactenus apud me valebunt, ut ambobus hac in partetribuam, quantum uni tribuam Platoni: qui optabile quidem censeret, quantaque potest cautione curandum, ut filii nascantur honestis parentibus, quod velut feminatum quoddam indolis atque virtutis indatur occulce nascentibus: & tamen, ut for-

tunatores aliquanto censeret, bonos prognatos bonis, ita multo laudatiorem judicat mali patris bonum filium, idque adeo merito. Nam si sit eo turpior quo magis claro patre degeneret, an non vicissim convenit, eo plus cuique laudis esse, quo magis in diversum tractus improbi parentis exemplo, sua ipse virtute benefactisque claturerit? Hæc igitur quum senserit, haud dubie non aliud poëram exturbare sua debuit urbe Plato, quam tui palponem similem; qui vel à fortunæ jubes, vel à naturæ commodis adulari principibus, à virtute laudare non sustines; quæ vel cum dispendio popularis autæ laudanda sit, & contra vulgi receptos sensus, cui fere placere pessima, mellitis numeris essent opiniones bona sensim inferendæ pectoribus.

Quamobrem ego quod dixi, etiamsi qua culpæ pars habisset in patre, non reticuissim tamen filii laudes, quæ cum fuissent eo certe ipso cumulatores, quod paternum errorem emendare potius quam imitari delegisset: atque id ita fecisse, rationi uni patens atque obtemperans, etiamsi Poëtas omnes si vulgus universum sentire longe sentire diversa; tantum abest, ut nunc ea non obticuisse pœnitentia, quorum reprehensio ad eos pertinet, qui patris fidei ad suum quæstum & malum publicum sunt abusi; gloria vero & immensa & æterna pertingit ad filium, qui tam celeriter affectis pœna nocentibus, ac restituta republica, patrem simul & patrem pius in utrumque vindicavit. At tu laudatot egregius, quæ potissima regia laudis porrò sit, quam & privatim & publice, velut omnium laudum Principem; & ei Principi iuris propria, totus agnoscit populus, quæ adeo patri nihil detrahit, ut præcipuum ei decus adjiciat, quod pater sit ejus Principis, qui regnum vere regis administret artibus; eam centuria virgula jubes expungi, non ob aliud opinor, quam quod vera sit: adeo nihil tibi placet, nisi poëticum tuum, ex dicto falsoque conflatum totum. Nam poësis tua, (testante temet) id si sustuleris, nulla poësis erit. At Princeps quum ea faceret, non in tenebris occulte, quasi benefacti pudereret; sed in clarissima luce, in oculis tractaret omnium, in privatis, publicis judiciis, in Comitiis, in amplissimo totius regni conventu, cum plebe, cum proceribus, quum omnis ætas, ordo, sexus rem tam illustrem videret, tam salubrem sentiret, tam egregiam laudibus in cœlum veheret; ego videlicet, quod potissimum prædicare debebam, solum solus omittitrem; ut quod nunc dictū incessit Brixius, id indictū rideat etiā pueri, quib' ipsi vel stupidissim', si non sensisse; vel improbissimus, si non probalſe;

vel

vel invidissimus, si non laudasse, merito videri poteram? Et tamen hunc locum. Tu nescio ineptius exagites an invidiosius: adeo cæco p̄cep̄s imperu, ut te non sentias insciat̄ propemodum notare Principem nostrum; atque adeo, q̄num ei parem facias, paris inscītia notare etiam tuum. Nec interea tamen (quod tibi certe perpetuum est) quicquam consistis tecum. Nam primum ita curam ei tribuis Camœnæ Latiae, ut tamen leges ignoret carminis; mox adeo facis insciā, ut ne quid verba quidem fibi velint, sciat: & tamen tuum Regem cum eo copulas, ut ex æquo sint ambo Cecropiæ numinæ plena deæ. Numnam hæc pulchre cohærent? Sed non est istud novum, ut altero q̄oque versu excidas tibi. At me conduso laudatotem voēas & parcum, ipse laudator adeo non profusus, ut eam laudem, quam Virgilius tribuit pastoribus, tu quum velles applicare Principibus, aliquid tamen, tanquam nimis sumptuosa fore, abraseris, atque in deterius, quod semper imitando soles, immutaris. Nam quum illius versus sic habeat in pastores duos, ambo florentes et atibus, tuus habet in duos Reges, ambo pares etate: atque ita Virgilius in illis exprimit etatis florem, tua laudatio quum his aptetur Principibus, qui vere florent etate, tamen sic est anceps, ut dubius possit convenire dec̄repitis ac felicitatis senibus. Porro, quam de virtute quoque subjungis, non admodum prodigalatis; quandoquidem ita virtutem utrique tribuis, ut tibi relinquas liberum, utrique, simul ac libebat, admere. Nam quum pronuntias pares virtutibus ambos, neutri tamen affirmas inesse: sunt enim pares (si nescis) tam qui patitur carebit, quam qui patiter habent. Nec tamen istud eo dico, quod in eam partem te lenissime censeam; sed ut ostendam, si quis ad eum modum tuas excusat laudationes, q̄lo tu calumniariſ meas, quam facile locus reperiatur obnoxius. Nec ego tamen huc Apelles atque Alexandros evoco, non Cherilos, pugnos, exilia, neque tales tibi moveo tragedias, quales tu mihi cies. Quod si & tēs minus esset illustris, & Princeps noster tam esset inscius, quam tu eum facis, in quantum fors periculi conjectasses me, quidm vix fieri possit, ut qui versatur in publicis negotiis, non aliquem habeat aliquando, qui libenter optet calumniari, si vel res patetur, vel ignoratio Princis liceret abuti; prælertim si qui sint, qui rursum cupiant retum statum in detetius trahi: ut quem nunc ægre ferant, magis in luminam prosperare publice, quam seorsum sibi? Verum hi, si qui sint hujusmodi, sic rem viderunt ipsi non clasticariis machinis, sed actam & tractatam publicitus, sic in suis atribus sentiunt præstare Principem, qui iterum atque iterum prorepentes viperas, ac vel. ut post h̄iemem novo Sole apicantes se, &

caluminia vetus virtus denū tentantes effundere, denū retudit, compressit, elisit; ut facile sentiant, noxiis voris suis nullam relictam spem. At tu quum istiusmodi scribas, Brisi, quæ sunt non absurdam modo atque inepta, verum scelestæ quoque, & (quoad pet te fieri potest) perniciosa; tamen Deloium, Budæum, Lascarem, viros literatum & virtutis gratia toti commendatos orbi (quorum nominibus major debebatur honor, quam ut libello contaminates istiusmodi, tanquam gemmas collocates in luto) nominas; eosque tecum velut in partes attrahis: quos & castigatores prædieas, & consultores adhibitos in consulfissimis consilis. At ego, quanquam de syllabis illis ac sole cœsimis, quos objectas mihi, non possum spondere, quod sentiant, quorum, ubi me audierint, nec in illis quidem detrectabo iudicium; certe tales esse eos persuasum habeo, & philosophicæ scientia, & rerum prudentia publicarum, ut si tu cuiusquam eorum calculum hac sanc parte possis extundere, quo se (quod ad regias laudes attinet) sentire testetur tecum; ego tibi & in teliquis concedam omnibus, & laudem ultro deferam, qui nunc aliud suspicati non possum, quam quod videtur omnibus, illas inferni furias (quas scribenti tibi fateris adfuisse) tale tibi inspirasse consilium; quod, seu tuorem spectes, seu virtutem, haud obscure tarratæ refert originem. At aliquando tandem, velut per antrum Trophonium emergens ab inferis, exhilaratus in jocum solveris, & risu canis irritati meam subsannas epistolam, qua libelli delationem confero in pictorem, cuius podagra fecerat, ut serius aliquanto, quam statueram, veniret ad Regem. Hæc tibi causa non placet. Homo superstitione poeticus ferre non potest, ut dicantur vera; & civilitate plusquam aulica deridet, si quis apud Principem de te nihil obscena verbis uitatur isdem, quibus uititur populus. Quis itaidentem non rideat?

Porto quid illud tibi somnia velit, non intelligo; videatur enim saperé nescio quid salis reconditi; quo significas, meis officiis studis curam rei domesticæ: quo dicto nescio an tuis arte verdices prærogativam, quasi tibi nulla sit domus, sed liber & expers curarum, alienas pâtopisides velut parasitus obambules; eoque nescie sit tuum poëma præcellere, quod otium & cibus excolat alienus.

Ego certe de te sentiebam honestius, hodieque sentio; quanquam libellus tuus (ut vere dicam) & Pyrgopolinæ refert & Artotragon. Neque video, quid ad rem pertineat, exprobaret mihi; quod habeam domum, nisi tu domū non habeas.

Nam

Nam alioqui jocus ille festivus , & (ut Plautinus ait parasitus) dictum de dictis melioribus in te recideret. Certe quemadmodum te persuadeo mihi non esse plane parasitum , (quantumvis istud liber præ se ferat tuus) ita vere te suspicor Cynicæ sectæ Philosophum , non à latrato tantum , verum etiam quod ubique te video ad divitias ludere , ubique ad mendicitatem , ubique ad famam applaudere. Nam ita ludis in liberos meos , ut eorum describas misericordiam , si tantum versus meos hæreditate , ac non etiam nummos essent habituri ; quasi tui sint futuri solis paternis versibus felices. At ego liberis tuis , si quos aut habes , aut habiturus es unquam , longe laqueos , longe mendicitatem deprecor , quæ mala tu facete scilicet ominaris meis ; atque ex animo precor , ut uberior eis affulgeat alicunde fortuna , quam ex versiculis tuis , quorum ego neminem esse usquam tam infanum censeo , qui trecenta millia redimat teruncio ; quæ quidem hujus generis sint , cuius effutivisti haec tenus.

Eiusdem salis & illud est , quod lupo temet assimilas famelico , tanquam , nisi meo bono Reges duo faxissent pacem , me miserum agnelli semel devorasses integrum : nunc vero nefas ducis facta pace litigare , eoque libellum istum nunc demum edidisti blandulum. Sed illud demum divinum fuit inventum , quod dicas omnes , ac bellas illas charites inferorum furias , tam formosulas amiculas adfinxisti tibi , quibuscum luctas atque otium oblectes tuum ; initatus videlicet quosdam non imperite ridiculos , qui quum esse sibi quedam vel corpore deformis , vel moribus foeda tentant , quæ vel obnoxia dicteris sint vel criminationibus , homines scurrandi solettes in tua via ludunt ipsis , ut quando evitare non possint opprobrium , anlam saltam carpendi præcipiant æmuls , ipsique potius de se triumphum ducant. Ita quum tu videres Antimoron tuum , non Moriam modo sed Maniam quoque spirare , quando nemini futurum videbas ambiguum , unde sit ille furor emissus , maluisti in tuas furias ipse præludere , quasi eas ultro sese offerentes tibi , amico videlicet tam necessario & juratissimo mystæ , fueris emissurus in me.

Illud opinor nemo leger unquam , qui non insignem ingenii tui notam judicabit , & plane Bruxianam facetiam , quod quum te dignis versibus , ad tuam ipsius me pinxit esse effigiem , vertitus ne nondum satis expressisses te , rabulam addonasti in margine , quod talem me dices esse in patria. Ego , Bruxi , qualis domi sim non dico , ne similis tibi sim ; cujus gloriam , sive quam ipse tibi tribuis , non mereor , sive quam trahunt alii , non affecto. Tu vero qualis domi sis effectisti tandem foris ut cognosci possis. Quem (quum te videri velis à secretis esse Reginæ) non pudet ejusmodi rabie rabire in Consilia- rium Regis , qua uic in rabulam quidem quisquam rabit nisi rabula.

Et tu quum hunc in modum toto te libello gesseris , operæ pretium est videre quomodo ,

sumpta scilicet auguris persona , divines fore , ut me pro hoc tam amico in me officio sis habiturus inimicum , cuius tu pudendos lapsus pia cura tollas in authoris honorem , relatus tamen abingrato malam gratiam ; atque ita tractas istud admirabile atque ex intimis Rhetorices penetralibus depromptum schema , ut fere Concionantis quoque personam induas , & injecta frequentius mentione Christiani , atque identidem peccatoris nomen inculcans , tanquam animæ res agatur , propemodum solœcismorum vélis agam pœnitentiam , quod appropinquet (credo) regnum cœlorum. Ego certe , Bruxi , tuum illud augurium de me non dubitabo fallere : qui nunquam tibi statui inimicus esse. Nec usque adeo sum inhumanus , ut tam amicum in me officium non agnoscam , hominis tam officiosi in famam meam , ut editis atque excusis in me famosis libellis , ahena errata pro meis mihi insulseret in aurem ; tam indulgentis in honorem meum , ut potius quam me non impetrat falsis calumniis , tuum ipse nomen veris in honestet opprobriis , tam propensi in salutem meam , ut Principem meum , vel impietatis insimulet , vel insecitæ , ni me proflus exterminet. Nec usque adeo sum stupidus , ut non sentiam , quanto pretio redimendus sit ejus virti favor , qui sit tam prudens , ut altero quoque versu obliviscatur sui , tanquam Lethæum poculum interbiberit ; tam generosa palma , ut non erigat modo se advertens maledicta aliorum , verum ipse quoque sese oneret suis ; tam fortis & invictus pugil , ut Herculi surreptæ clava perpetuo pugnet secum ; tam oculatus ac lynceus , ut non videat sua in se redire scominata ; tam urbanus , ut in sanum , stultum , furiosum , canem , rabulam habeat in facetiis ; tam placabilis ac tranquillæ indolis , ut fidefragos , perfidos , & perjurios inclamans , tamen abstineat conviciis ; tantus adsertor Poëtices , ut eam contemni postulet , præmonens , ne quis ambiat ab ea laudari , quæ sibi vetat credi ; tam vehemens Orator , ut defendat eum provocare , qui responderit , provocatum vero , qui prior læset ; tam pulchre olivam medius gerens in armis , ut in media pace de bello litiger ; tam æquus , ut insaniat , quod ipsius liber vere sit taxatus mendacii ab illo , cuius totam gentem eodem libro falsus insinuarat ante perjurii ; tam fructuosus encomiates , ut Principes à corporis dotibus laudari postulet , à fortunæ muneribus ferat , à virtute non sinat , nisi si quid dicatur in genere , sic ut dici possit in quemlibet : si quid vero factum sit ejusmodi , ut id virti , mulieres , pueri , lapides prope collaudent , ejus rei Pythagoricum indicat silentium ; tantus Apelles , ut (nisi tabula ejus cum favore spectetur ) duos videatur Principes ex eadem propemodum denigrare fidelia ; tam anxie Christianus , ut nisi mihi duo Reges ab illo (precibus opinor) impetrassent veniam , nunquam potuisset obtinere Christus , quin acerbe olim debacchatus in nos , quoniam uno sit percussus verbulo , me misellum agniculum homo plus ullo lupo famelicus totum deglutiri-

ret; tam lepidus denique, tam festivus, tam solers, & undique tam consummatæ sapientiæ, ut sibi ipse familiates esse fateatur infernales furies. Eas ergo quum habeas, Brigi, domesticas, ut sis fortassis ambiendus alii, sicuti sint, quibus cum ejusmodi sodalibus libeat ludere, ego te profecto nec inimicum horreo, nec amicum expeto. Nam hostem tuum nihil timendum est, ne (quod tu minaris) unquam invadant furiae, nempe trabalibus clavis arctius ferruminatae tibi, quam ut à tam caro capite queant aevilli quoquam. Amicis vero ac familiaribus ejusmodi pestis possit nocere contagium. Contra inimicus ipse tibi non ero: neque enim eum odisse possum, cuius sic obsecsti misereor; imo adamarem certe, ni vererer, ne me redamates mutuo, ut qui frequenter audierim, quam sit molestus ac noxius amore ejusmodi

spectorum. Proinde quoad licet, erga te sic neutro memet affectu geram, ut nec dignatus unquam sim, albusne sis anatet, inquirere. Quanquam nec opus est istud inquirere; tam atrum enim tuum te atramentum reddidit, quam carbo est. Tantumne tam grati officii prossus oblitus videar, quo meorum verluum mendas adnotasti sedulo, nec eas cujusquam pateris errores haberi quam meos, ditis interim tute ac futilis (si vera fateris) obnoxius, utrique nostrum supplex quod sit salubre comprecor; uti superi mihi tubique tam propitii sint, amborum virtutia ut corrigan, ac mihi solœcam orationem castigant, tibi perpurgent solœcismos ingenii; mihi barbara verba velint è sermone tollere, tibi barbaros istos mores è pectori; denique benigni largiantur & mihi sanos pedes in carmine, & tibi sanum caput in corpore.

## XIV.

# EPISTOLA THOMÆ MORI ad ANTONIUM BONVISIUM, Mercatorem Lucensem,

Tum Londini agentem, postea Lovaniū mortuum, ex carcere, quo arctissime tenebatur, paulo ante mortem, carbone scripta,  
postquam omne instrumentum scribendi esset sublatum.

Anno M D XXXV.

**A** Micorum amicissime & merito mihi carissime, salve. Quoniam præagit mihi animus, fortasse talio, sed tamen præagit, haud diu superfuturam ad te scribendi facultatem; dectrevi, dum licet, hoc saltem Epistolio significare, quantum in hoc fortunæ meæ deliquio amicitiæ tuæ jucunditate reficiar. Nam ante quidem, Vir ornatissime, tam et limisifice certe semper amore isto in metuo delestatus sum; tamen recordanti mihi annos jam prope quadraginta Boniæ domus non hospitem sed alumnum fuisse, verecundia mea profecto fecerat, ut sincera illa quam aliqui ex amicitiæ nostræ ita cogitatione deglutiebam, paululum quiddam pudore quodam rustico tanquam neglegitæ vicissitudinis tubacesceret. Verum enim vero nunc hac ego me cogitatione consolor, quod bene vicissim mihi merendi de te nunquam se præbebat occasio. Ea siquidem amplitudo fortunæ tuæ fuit, ut commodandi tibi nullus mihi relinqueretur locus. Conclausus igitur mihi, non officii neglegitæ partem, quam mihi ruentis in me fortunæ moles invexit, tua consolatione lenires ac relevares. Ego igitur, mihi Antoni, mortalium omnium carissime (quod solum possum) Deum optimum maximum quiete mihi providit, obvixè deprecor, ut quando tibi talem debitorem dedit, qui nunquam solvendo sit futurus, beneficentiam istam, quam mihi quotidie tam effusus impendiis, ipse tibi pro sua benignitate dignetur rendere; tum u[er] nos ab hoc ærumnos &

in hujs admirabilis amicitiæ tuæ suavitate conquiesco. Et nescio quo pacto tam fidelis amicitiæ prosperitas videtur mihi in hoc improspero clavis meæ naufragio propemodum paria facere: certè (tollatur indignatio non amati minus, quam metuendi Principis) quod ad reliqua pertinet, plusquam paria, quippe cum illa sint inter fortunæ mala numeranda omnia. At amicitiæ tam constantis progressionem, quam tam adversus fortunæ calus non eripuit, sed ferruminayit fortius, amens profecto fuctim, inter fortunæ bona si numerem. Sublimius haud dubiè bonum est, atque augustius, peculiari quadam benignitate proveniens, amicitiæ tam fidelis, & fortuna destante constantis, raro concessa felicitas. Ego certè non aliter accipio atque interpretor, quam eximia Dei miseratione curatum, ut inter tenues amiculos meos, tu vir talis, amicus tatus, tam longo tempore patereris, qui magam istius molestiæ partem, quam mihi ruentis in me fortunæ moles invexit, tua consolatione lenires ac relevares. Ego igitur, mihi Antoni, mortalium omnium carissime (quod solum possum) Deum optimum maximum quiete mihi providit, obvixè deprecor, ut quando tibi talem debitorem dedit, qui nunquam solvendo sit futurus, beneficentiam istam, quam mihi quotidie tam effusus impendiis, ipse tibi pro sua benignitate dignetur rendere; tum u[er] nos ab hoc ærumnos & pro-

procelloso seculo, in suam requiem, pro sua miseratione perducat, ubi non erit opus Epistolis, ubi non distinebit nos parties, ubi non arcebit à colloquio janitor: sed cum Deo patre in genito, & unigenito ejus filio, Domino & Redemptore nostro Iesu Christo, atq; utriusque Spiritu, ab utroque procedente Paracelto, gaudio perfuerunt æternō: cuius interea gaudii desiderio faxit omnipotens Deus ut tibi, mihi Antoni, mihique atque utinam mortali bus undecunque omnibus, omnes hujus orbis

opes, universa mundi gloria, nec non istius quoque virtutē dulcedo vilescat. Amicorum omnium fidelissime vale. Familiam tuam totam, herili in me affectu similitam, Christus servet incolument.

THOMAS MORUS, frustra fecero si adjiciam TUUS: nam hoc nescire jam non potes, quum tot beneficiis emeris: nec ego nunc talis sim, ut referat cuius sim.

Sequuntur

## DESIDERII ERASMI ad THOMAM MORUM EPISTOLÆ,

Quibus ad præcedentes respondetur.

I.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S.D.

**V**ix illis literis consequi queam, quibus diris hujus tabellarii caput devoverim, cuius vel indiligentia, vel perfidia factum arbitratur, expectatissimis Mori mei literis fuerim frustratus. Nam in officio cessasse te, suspicari nec debo, nec libet. Tametsi superioribus literis vehementiuscule tecum expostulavimus. Neque veremur, ne quid nostra libertas te commoverit, qui non ignores Lacedæmonium illum ad cutem usque pugnandi motem. Illud extra jocum oramus, mellitissime Thoma, ut ægritudinem, quam ex nimium diuturno tuo tuorumque scriptorum desiderio cepimus, usura aliqua sarcias. Expectamus omnino, non epistolam, sed ingentem literatum sarcinam, quæ vel Ἀgyptium αὐθόποιον degravet. Si qui sunt isthinc bonarum literarum cultores, tuum erit officium, eos ut ad nos scribant extimulare, quo videlicet amicorum orbem omnibus numeris absolvamus. Non ausum illos lacerare prior. Nam tibi nihil referre putamus, quomodo scribamus homini facillime; ad hæc mei, ut mihi persuasi, amantissimo. Vale jucundissime More. Oxoniae, Anno Mcccc xcix. Natali Simonis & Judæ.

II.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S.D.

**S**uperioribus diebus cum me ex Italia in Angliam reciperem, ne tòrum hoc tempus, quo equo fuit insidendum, & illiteratis fabulis terererur, malui tecum aliquoties vel de communibus studiis nostris aliquid agitare, vel amicorum, quos hic ut doctissimos, ita & suavissimos reliqueram, recordatione

frui. Inter hostu, mihi More, vel in primis occubebas: cuius euidem absens memoria non aliter fuī solebam, quam praesens præsens consuetudine consueveram, qua disperebam, si quid unquam in vita contigit mellitus. Etgo quoniam omnino aliquid agendum duxi, & id tempus ad feriam commentationem parum videbatur accommodatum, visum est Moræ Encomium iudere. Quæ Pallas istud tibi misit in mente? inquires. Primum admonuit me Mori cognomen, tibi gentile, quod tam ad Moræ vocabulum accedit, quam es ipse a re alienus; es autem vel omnium suffragiis alienissimus. Deinde suspicabar hunc ingenii nostri lulum tibi præcipue probatum iri, propterea quod soleas hujus generis jocis, hoc est, nec indoctis, ni fallor, nec usque quaque insulis, impendio delectari, & omnino in communia mortalium vita Democritum quandam agere. Quanquam tu quidem, ut pro singulari quadam ingenii tui perspicacitate longe lateque à vulgo dissentire soles, ita pro incredibili morum suavitate facilitateque cum omnibus omnium horarum hominem agere & potes & gaudes. Hanc igitur declamatiunculam non solum lubens accipies, ceu μηδενον τui sodalis, verum etiam tuendam suscipes, ut pote tibi dicatam, jactique tuam non meam. Etenim non deerunt fortasse vitilitigatores, qui calumniantur, partim leviores esse nugas, quam ut Theologum deceant, partim mordaciores, quam ut Christianæ convenient modestiaz, nosque clamitabunt veterem comediam, aut Lucianum quempiam referre, atque omnia mordicus arripere. Verum quos argumenti levitas, & ludicrum offendit, cogitent velim, non meum hoc exemplum esse, sed idem jam olim à magnis autoribus factitatum. Cum ante tot secula, θαρραχογουαχια, luserit Homerus, Maro Culicem & Morecum, Nucem Ovidius. Cum Busiridem laudaret Polycra-

tes, & huius castigator Isocrates, injustitiam Glauco, Theristren & quartanam febrim Favorinus, Calirtium Synesius, Muscam & Parasiticam Lucianus. Cum Seneca Claudiilusserit ~~Στρόβιον~~, Plutarchus Grylli cum Ulysse Dialogum, Lucianus & Apulejus Asinum, & nescio quis Grunnii Corocotta porcelli testamentum, cuius & divus meminit Hieronymus. Proinde, si videbitur, singani isti me instrunculis interim animi causa lusisse, aut si malint, equitasse in artundine longa. Nam quæ tandem est iniurias, cum omni vitæ instituto suos lusus concedamus, studiis nullum omnino lusum permittere, maxime si nugæ seria ducant, atque ita tractentur ludicra; ut ex his aliquando plus frugis referat Lector, non omnino narris obesæ, quam ex quorundam tetricis ac splendidis argumentis veluti cum aliis diu consarcinata oratione Rhetoricen aut Philosophiam laudat, alius Principis alicujus laudes describit, alijs ad bellum adversus Turcas movendum adhortatur; alijs futura prædictit, alijs novas de lana caprina communis scitur quasi iunculas. Ut enim nihil nugacius, quam seria nugatorie tractare: ita nihil festivius, quam ita tractare nugas, ut nihil minus quam nugatus fuisse videaris. De me quidem aliorum erit judicium: tametsi, nisi plane me fallit *Φιλωτία*, stultitiam laudavimus, sed non omnino sculpe. Jam vero ut de mordacitatis cavillatione respondeam, semper hæc ingenii libertas fuit, ut in communem hominum vitam salibus luderen impune, modo ne licentia exiret in rabiem. Quo magis admittor his temporibus surium delicias, quæ nihil jam fere nisi solennes titulos ferre possunt. Porro nonnullos adeo præpostere religiosos videoas, ut vel gravissima in Christum convicia ferant certius, quam Pontificem aut Principem levissimi joco aspergi, præterea si quid *φρεστά* *ἀλφιτα* attinet. At enim qui vitas hominum ita taxat, ut neminem omnino perstringat nominatum, quæso utrum is mordere videtur, an docere potius ac monere? Alioqui quot obsecro nominibus ipse metaxo. Præterea qui nullum hominum genus prætermittit, is nulli homini, vitiis omnibus iratus videretur. Ergo, si quis extiterit, qui se laetum clamabit, is aut conscientiam prodet suam, aut certe metum. Lusit hoc in genere multo liberius ac mordaciis divus Hieronymus, ne non inibus quidem aliquoties parcer. Nos præterquam quodam nominibus in totum abstineamus, ita præterea stylum temperavimus, ut cordatus Lectori facile sit intellegi, nos voluptatem magis quam mortuum quæsiisse. Néque enim ad Juvenalis exemplum, occultam illam scelerum sentiam usquam movimus, & ridenda magis quam fæda recensere studiuimus. Tum si quis est, quem nec ista placare possunt, is saltem illud meminerit, pulchrum esse à stultitia vituperari, quam cum loquentem fecerimus, decoro personæ serviendum fuit. Sed quid ego hæc tibi patrono tam singulari, ut caulas

etiam non optimas optime tamen tueri possis? Vale disertissime More, & Moriam tuam gnaviter defende. Ex rure, quinto Idus Junias, Anno MD VIII.

## III.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S.D.

Upsetus existimat se nostra renatum opera, planeque ab inferis emeruisse. Magistri molliuntur omnia, quo retrahant adolescentem in suum pristinum. Nam statim eodem die sophisticis libris distractis, Græcos emerat. Vide, ut cum inciderit opportunitas, gnaviter agas partes tuas. Nihil hujus ingenio gratius, nihil amantius. Bene vale. Vereto librum Plutarchi de discernendo adularem ab amio, longiusculum, sed quo non alius mihi magis placet. Absolvam faventibus Superis intra dies octo. Videtur mihi hoc pro pedium magis ad tem pertinere, quam di gladiari cum Vigilantio, duce Hieronymo. Rursum vale. Si videris Lazarum nostrum, hominem plane Musis & Gratias natum, quæsd salutes diligenter: hortare, ut prescribat mea quæ habet in manibus: nam habeo quædam plus quam nova, quæ non dubitem illi futura gratissima. Millies vale. Cantabrigia Anno MD X.

## IV.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S.D.

UT nusquam cessant sycophantæ mei, ut nullum non movent lapidem, quo noceant Erasco; Persuaserant Colonizæ uni atque alteri, libellum illum ridiculum de Julio cœlis excluso à me conscriptum fuisse, persuasi pluribus, ni prælens impudentissimam calumniam retudissem. Quod si quid hujus suspicionis apud vos quoque subiectum est, ut solet in hujusmodi negotiis per multis obambulare divinatio: mitto ad te exemplar literarum mearum ad Paulum Bombastum: nam perlongum sit, eadem pluribus scribere. Nihil pudet istos sycophantas, & nescio, quomodo quæ falsissima sunt, libentius credit vulgus. Pridem erat in animo submonere Pontificem summum, ut hujusmodi licentia indies magis ac magis gliscenti finem imponeret, sed nondum incidit commoditas: Antonium tamen Puccium Oratorem admonui Basileæ, & receperit se curaturum: nam illi quoque res non diffimulanda videbatur. Cum tu duodecim angelatosmittis pro novem, non video quid lucri facias. Video futurum, ut fortunæ secundus flatus te nobis auferat. Sed hoc moderatius fero, quod tu interim felix es, qualiacunque nostra sint facta. Vetus est, amicis convalescentibus soteria mittere: at isthinc necliteræ mittuntur,

cum

cum à tot morbis revixerim. De Theologorum quorundam fucatissimis technis per longum sit scribere: ex literis meis ad Roffensem, fabula parte intelliges, nam harum exemplar ad remitto. Bene vale. Calend. Jan. Basileæ, Anno M.D.XX.

### V. ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

JAM ad iter accineto, binæ simul mihi redditæ sunt literæ, neque puer ullus, neque mercator nos v. sit. Maruffi syngrapham exhibui Galpari, ea jubet dari ducatos largos justi ponderis, aut valorem. Agnoscis non castrense, sed Mercuriale verbum. Rogavi, quis esset valor. Respondit Stuferos 37. cum dimidiato. At mihi, inquam, valor nihil aliud significare potest, quam publicam Principis estimationem. At nos, inquit, hunc habemus modum. At ista inquam, ratione nos fallimur, qui vestrum morem diuinare non possumus ex syngrapha. Recepit syngrapham meam. Admonebis igitur hominem, non esse mihi consili quindecim florenos perdere in sexaginta angelatis. Rogabis Archiepiscopum, ut pecuniam tibi tradat, tu collocabis apud Germanos Sterlingen. & scriptum huc mittes, quo hic recipiam: nisi erit, per quem huc mittas rectius. Exhausi loculos omnes, dum me vestio. Credemini, mi More, effudi lupra quadrigenitos florenos. Jam periculum est, ne bene yestitus fame moriar. Si Tunstallus hic hymenat, illi me adjungam, nam id impensissime cupit. Adiit, hæc eum scriberem, Petrum Ægidium hospes Anglorum, offerens pretia librorum, cæterum de nostra pecunia nullum verbum. De Ursawico fac instes. Hieronymus intra biduum aderit cum ingenti sarcina literarum ad me. Ubi accepero, faciam te certiorem, si quid erit, quod te scire oporteat. De insula deque cæteris curabuntur omnia. Hæc scripsi inter componendum sarcinas mox equum consensurus. Bene vale carissime More cum tuis omnibus. Antverpiæ postridie Calend. O&tob., Anno M.D.XVI. Curavi ut Cantuariensis, Coletus, Roffensis, Ursawicus, & tu si vis, inter primos accipiat Hieronymi volumina. Rursum vale. P. Ægidius plane te deamat. Nobiscum assidue vivit. Mire favet tua Utopia, teque valde salutat cum tuis omnibus.

### VI. ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

Nuper fasciculum epistolarum ad te misi una cum exemplo Utopia per quandam tibi vehementer ut ajebat amicum. Onerassem pluribus, sed veterebat. Nunc alium nactus, mitto Reuchlinica omnia in uno libello, quem ita communicabis Roffensi, ut quamprimum legat, ac remittat. Nam quædam sunt, quæ non quam reperias. Tu lege propositiones plane

theologicas, abyssales sapientias, & articulos Arnoldi Tungensis. Mitto unam epistolam ad Marlianum, quod si suspicatus esset priorem librum Utopia à me profectum: id nolebam serpere, quoniam sit nihil vanius. Dialogus ille Iulii & Petri, ut intelligo, jam τῷ καὶ κελεψόμενῷ in manibus est, & unice placet. Moriam indies expectamus. Utopiam tuam recognitam hue quamprimum iustito, & nos exemplar aut Basileam mittemus, aut si mavis, Lutetiam. Si quid habet Ammonius, cura, ut quamprimum ad nos veniat. Nam Princeps abitum adornat, & nos quo aut quando profecti, incertum habemus. Exigitur à populo ingens pecunia eaque præsens. Postulatio recepta est ab optimatibus ac prælatis, hoc est, his qui soli nihil datuti sunt. Nunc civitates consultant. ὁ εὐτοκάτως alia ἀνολογία, nunc adest manu magnifice armata, & agri passim explentur militum gregibus, sed unde, aut cuius nomine veniant, incertum. O miseram hanc regionem, à tot vulturibus atrosam! O felicissimam, si civitatum inter ipsas esset concordia! Significa, num eodem animo sit in me Cantuariensis & Coletus, atque item Roffensis, de quo tibi nuper scripsi. Patre eius qui has reddit, nos laudissimo prandio accepit, vir dives ac probus, multa testatus de tuo erga se officio. Adjuva me, quælo, tuò consilio. Budaicam postremam ad te mitto. Precor Maruffo quodignus est, cum sua syngrapha. Nam Saulos istos nusquam licet comprehendere, ni Brugas proficiscar. Bene vale More suavissime. Antverpiæ Calendis Martiis. Adest isthic Franciscus: si nondum Hieronymus expletus est Cantuariensi, ab hoc exigit: debet enim. Remitte exemplaria epistolarum quas nunc mitto, & quæ reddidit Lupetus, sed per hominem certum. Rursum vale cum tuis. M. D. XVI.

### VII. ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

Misi duas literarum sarcinas, alteram per negotiatorum quandam, alteram per filium Johannis Crulli, cui tu operam tuam navaveras. Ei commendavi codicem, in quo erat Reuchlinica, quæ miserè desiderabat Roffensis. Per priorem misi libellum Reuchlini, versum meo sumptu. Mitte Utopiam, ubi primum licebit. Est Antverpiæ Senator, cui usque adeo placet, ut eam memoriter teneat. Epistola Dorpii cui tu respondisti, sic à tuis scripta est, ut ne Sybilla quidem possit legere, vellem mitteres minus male scriptam. Quæsto te, ut scribas de omnibus diligenter, cum primum licebit. Nam hic magna rerum mutatio videretur instare, nisi me animus fallit. Bene vale cum tuis omnibus. Qui has perfert, probus est juvenis, ei promisit nescio quid Sixtinus. Is ea fiducia petit Angliam: ignarus ex simplici promisso non nasci actionem. Sed tamen extimula hominem,

ut magis ei faveat. Si Pollio crebro fuit apud te, facile conjectabis quid ego passus sim Bruxellæ, cui quotidie cum tot salutatoribus Hispanis fuerit res, præter Italos & Germanos. Rursum vale. Antverpiæ, postridie Nonas Martias, anno M. D. XVII.

## VIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S. D.

**C**Alendis Maii ventis invalecentibus jam-que etiam advefis medio noctis scaphula nautica, non sine periculo, in rupes quasdam ejecti sumus, in Galliam haud procul à Bolonia. Mox venti aspertrimi, quos reliquo itinere littus vicinum nobis exasperavit. Ii multos apud nos cynanche & pleuritide occiderunt & occidunt. Petrus Ægidius & ego pingimur in eadem tabula, eam tibi dono brevi mittemus. Verum incidit incommodo, quod reversus Petrum offendit, nescio quo morbo laborantem graviter, nec circa periculum, unde nec adhuc satis revaluit. Nos belle valebamus, sed nescio quomodo Medico venit in mentem, ut purgandæ bili juberet me pilulas aliquot sumere, & quod ille stulte sua sit, ego stultius feci. Jam pingi ceperam, verum à pharmaco sumpro cum ad pictorem redirem, negavit eundem esse vultum: dilata est igitur pictura in dies aliquot, donec siam paulo alacrior. Epigrammata tua & Utopiam misi Basileam per proprium ministerium, quem in hoc aliquot menses hic alueram, unâ cum meis aliquot lucubrationibus. Tonstall<sup>9</sup> bellissime valet, imò triumphat: tantum hic natus est veterum numismatum. Perlegit Copiam meam, ac mihi probat. Panegyricum quo Philippum laudavi, unicè admiratur: Budæi Assem totum excusfit, & ad eum scripsit: verum ille nondum quicquam respondit. Cardinalis Gurcensis hinc ante dies aliquot abiit, Cæsare, ut audio, non admodum æquo. Cardinalis Sedunensis heri discessit, apud quem eo die prandium egi: qui cum mihi longa fuit disputatio de Novo Testamento, tum de bello: is palam debacchatur in Gallos, & ut Helvetium decet, ingenuus. Ajebat Germanos eo tendere, ut omnes Reges subsint Imperatori. Cæsar Moguntiam adit, nam illic, ut ferunt, concilium futurum Procerum Germaniæ. Carolus noster Gandavi concilium agitat, quo Cæsar non accessit. Ajunt abire nondum satis placatum. Dii boni, quis unquam iratus fuit hoc felicius? Pax coitura fuerat etiam cum Ghelriis, & quidem conditionibus Cæsari quoque æquissimis. Verum id ille impedit, ne ullum usquam nobis esset bellum. Philippus Episcopus Ultrajetinus urbem suam ingressus est & auspiciis felicissimis, & insigni pompa. Dux Gheltia dicitur ōcto millibus hominum contractis Phrysiam adoriri. Tonstallus gaudet sibi tandem peractam fabulam illam motoriam. Is si reddit ad vos, hæc frustra scripsimus; sin manet, cer-

tum est, ubi futurus est, tempus hoc cum illo transfigere. Alioqui consilium erat Lovaniæ æstivare, Theologis etiam id magnopere flagitibus. Solus N. murmurat adhuc nescio quid, gloria cœla, ut ne parum vir constans videatur. Cave fraudes mea ista tua epistola, quam inabsolutam mihi ostendisti. Si epistola Jostiniani Oratoris Veneti apud te est (nam mihi perit) fac hoc redeat; sin minus, roga humanissimum Nicolaum, Secretarium illius, ut exemplar rursus hoc mittat, una cum ea, qua ipse Marco Musuro gratulatus est. Scribam fusius intra mentem, cum mitterem tabellam. De equo nihil adhuc audio, atqui nunc fuisset usui. Bene vale cum suavissima conjugi, liberisque dulcissimis. Petrus Ægidius una cum Cornelio la sua te tuamque ploratum salvere ubet. Anno M. D. XVII.

IX.  
ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S. D.

**C**Æteris ægrotato, tibi uni valeo. Gratia Superis, reversus sum incolumis Antverpiam tertio Calend. Junias. Dehberatum erat iter facere per Lotharingiam: jamque ad montem Cæsar, oppidum in Alpibus situm, perveneram. Verum ubi viderum passim militum greges, rusticos passim ex agris in oppida commigrare, & rumor esset adventare manum ingentem, verti consilium, & periculum non effugi, sed mutavi. Coloniae noctus sum Oraatores Italos, quibus adjuncti, confecimus ferre equites octoginta. Nec hoc numero sine periculo fecimus iter. Episcopus Basileensis vir admodum natu grandis, integer & eruditus, dictu mirum qua me sit humanitate prosecutus, homo alioqui multorum consensu non admodum benignus. Nam hunc nævum repetiunt in tam formoso corpore. Invitavit, complexus est, ornavit testimonio vocis suæ, obtulit pecuniam, fortunam, donavit equum, quem vix portam egressus, statim quinquaginta florēnis aureis vendere potui. Paraverat poculum argenteum, verum aurifaber illi yerba dederat, id quod indigne tulit. Eloqui vix possum, quantopere mihi placeat hoc cælum Basileense, quantopere genus hominum: nihil illis amicius, nihil sacerdos. Quot me comitabantur equis abeuntem, quibus lacrymis dimiserunt? Quanquam & aliunde conditiones non in honestæ offerebantur. Unam Epistolam misi, ex qua poteris conjicere me non omnino fingere. Novum Testamentum & ab iis probatur, quos arbitrabar maxime calumniatores: primatis Theologis vehe[n]ter placet. Enchiridion illud exosculantur omnes: id Episcopus Basileensis semper circum fert. Vidi margines omnes ipsius manu depictas. Sed desino hæc, ne gloriofulus videar. Quanquam apud Morum non verear vel ineptire. Sed τοτε τοις σέργετ πιέζουμεν, ut non licet ἀραύδεσθαι. Unam aut alteram fortunæ plagam utique ferat aliquis, ἀλλα ταραχόθεν δυσυχοῦ. Quam difficile est sapere,

quibus adversatur Rhamnusia? Et tamen animo Herculano me fulcio sustineoque. Placuit epistola quam Antwerpiam reverso reddidit Petrus Egidius. De Russo demitor, quid homini venerit in mentem ejusmodi nugari nugas: Deposui apud hominem centum & vinti angelatos exitios, pro his syngrapham tradidit: tamen illa res citra periculum ullum confici poterit. Scripsi Canturiensi per hunc tabellionem, mihi redditam eam pecuniam opera Ruffi. Is huic tradat chirographum suum, per quod possim in his regionibus accipere pecuniam. Eo apud te deposito, recipiat ab Archiepiscopo pecuniam. Id si parum probatur, fac ipse recipias eam pecuniam, & scribe tuis ut hic mihi restituant: simulque mihi Syngrapham mittito, per quam eam reponcam. Nam literas ad Canturiensem sic temperabo, ut utrumque liceat. Submonuit hic Petrus unoculus, optimum esse committere pecuniam negotiatori cuiquam Germano, per cujus Syngrapham Antwerpia recipiam. Proinde scribam, ut tibi tradat pecuniam, per me mox ad te venturam. Mire mihi placuit illa tua ad me epistola, testis animi in nos tui: præterea declarans te proficere dicendi virtutibus. Apologiam pro me tuam, nondum totam legi, ex qua intelligo quid Martinus Dorpius scriperat. Admiror quid homini veniret in mentem. Sed tales reddit haec Theologia, Cancellarium salutavi. Aderat forte fortuna tum in cena Præpositus ille Cassileanus, vir juxta doctus atque humanus. Adebat & Episcopus Iheatinus. Et dum haec scriberem, expectabatur Tonstallus, quo salutato Monticum conveniam, & Abbatem: apud hos tantisper tempus ducam, dum hic monophthalmus huc se recipiat. Mox cum Principe agam. Si tensero frigere negotium, ut est hujus regionis erga literas ingenium, recta Basileam, nisi si quid tu dissentis. Scribito de singulis diligenter, si quid est, quod ad rem meam pertinet. Si Pacæus adebat, admone ut per hunc remittat omnes commentarioles meos, quos apud illum deposui Ferratæ. Conveni Episcopum Theatini, cumque eo cenavi. Istoto pectori nos amat ac miratur: agit apud Carolum principem, comitaturus eum in Hispaniam. Hodie cenavi apud Tonstallum, ut compendio dicam, tui simillimum. Cura ut reviviscas, nam audio te periculosè laborate. M. D. XVIII.

### X. ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

**N**Æ ad istius exemplum perversissimo judicio videmus esse patrum vulgus. Corpori liberorum anxiè propiciunt, animi possessionibus neglectis, cum frustra, imo cum suo malo possideat opes, qui nesciat uti. De puerò nec ago gratias, nec tu novi quicquam fecisti, cum nunquam non sis tui signis. De Ludovici Vivis ingenio gaudeo meum calculum cum tuo consentire. Is unus est de numero eorum, qui no-

m̄en Erasmī sint obscuraturi. Nec alii tamen magis favo, & te hoc nomine magis amo, quod huic tam candidè faves. Est animo mite philosophico, Heram illam, cui sacrificant omnes, litant per pauci, fortiter contemnit. Et tamen tali ingenio, talibus literis non potest deesse fortuna Non aliud magis idoneus, qui profliget Sophistarum phalangas, in quorum castris diu meruerit. Adero Caleti, si valetudo suppetet, ut amicos omnes extreum complector, ac valedicam. Bene vale amice incomparabilis. Anno M. D. XIX.

## XI.

### ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

Perabam meas literas aliquid ponderis habitas apud Brixium. Sed ecce prodit ac prostat hic Antimorus ejus, qui liber vellem, autoris ipsius causa, cui favo ob animum ejus, vel in bonas literas, vel in me (quod ejus declarant scripta) propensum, aut perpetuo latuisset, aut certe Brixius fuisse imitatus tuorum epigrammatum modestiam ac civilitatem: quæ & ipsæ tamen optasse nunquam potius essent editæ, quom ut hic tumultus tragicus nter vos fuisset excitatus, non sine dispendio bonarum literarum: quas non video posse consistere, nisi adversus tam pertinacem barbarorum conſpirationem illas defendat eruditorum numerus, junctæque umbone phalanges. Verum quando fieri non potest, ut quod factum est, fiat infectum, cupio vehementer, ut malum germen, quod parum faustis avibus enatum est, opera nostra curetur, ut si radicibus evelli non possit, saltem ne serpat latius. Quod ut ego mihi capiam, non Brixii tantum causa, cui valde favo, me movet, verum etiam, cui multo adhuc magis favo, tua. Non quod arbitrer esse periculum, ne Antimorus ejus quicquam officiat famæ tuæ, quæ utinam non plus nocuisset iphus; Sed plane meruam, ne si tu respondendo talionem in illum regesteris, fiat ut quod nunc de illo sentiunt omnes, idem posthac de utroque sentiant. Scio quam difficile sit ad tam aculeatum undique libellum respondentis temperare à conviciis: & tamen si quid eam in partem peccasti, nemo qui te novit, tam facile putabit ignoscendum tibi, quam ignolcer Brixio. Nam ut nihil interim deuteriusque eruditio dicam, tua certe conditio, tua dignitas, ac rerum usus exigit, ut ejusmodi rixas non minus ineptas quam virulentas negligas potius, quam ut conviciis accurate retalias. Audio quotidie quid post editum libellum eruditio loquantur de Brixio: quæ ut de illo non libenter audio, ita de te multo minus audire velim. Quamobrem quum sentiam, quam arduum sit tam virulento libello lacessitum, sic attenuare responsum, ut nihil indulgeas affectibus: optimum certe censeo, si rem tytam ita ut meretur, negligas, atque contemnas. Neque vero hoc tibi consulerem, optimè More, si quicquam esset in Antimoro, quod tibi sic labem aspersisset ullam, ut opera pretium sit eam curare

curare abstergendam. Sed omnia plane sunt ejusmodi, ut inter legendum quisque respondeat sibi. Nam omnes vident Brixium id in te reprehendere, quod tam temerè tamque præpropere edideris tua epigrammata, quæ tu nec adhuc edidisti: cum pleraque tibi ante annos plus viginti scripta sint, omnia ferme ante annos decem. Vident illum vellicare pro erratis suis, quorum alia sunt exscribentis, alia Typographi, & in his pleraque talia, ut nisi damnatis sumis autoribus reprehendi non possint. Vident epigrammata tua quæ feceras in Chordigeram jam olim esse scripta flagrante bello: nec tuisse causam Brixio, ut nunc tot annis post initiam & confirmatam pacem, bellicum tumultum renovaret. Vident Brixium in Epitaphio Abandonii ludere manifesta columnia dissimulantem quod dissimulari non potest, illic opera data affectata carminis ineptiam. Cæterum qua parte insectatur id carmen, quo tu gratularis auctoribus regnum ineuntis Principis, usque adeo nemo doctorum in Brixio non desiderat animi calamique moderationem, ut ego non pessimus, ut scis, amicorum patronus, haud alium inveniam colorem illius excusandi, quam quod ita senserit Britannicarum rerum ignorantia: quas si compertas habuisset, neque scripsisset ea, & veliratus fuisset fassus, Regem abs te laudibus vere regius magnifice laudatum esse. Hæc mi More, cum omnes & sentiant & fateantur, quid restat causæ cur te torqueas respondendo, hoc est rem, quod ajunt, actam agas, non alio fructu, quam ut venias in periculum, ne famæ jacturam, quam nunc solus apud eruditos patitur Brixius, tibi facias aliqua ex parte communem, si forte, (quod haud facile vitare possis, ubi calamus, ut sit, incaluerit) respondeas inclemens, & convicia repenses convictis? Non minima portio tuarum laudum est, ingenii lenitas, perpetuaque morum suavitas, unde nolim ego quicquam decadere. Sintibi decretum est diversa ingredi via, (nam audio librum tibi adversus eum jam in manibus esse) velim te excuses tantum, & malevolentia crimen, provocatoriaque petulantia, sic abs te depellas, ut in adverfarium non regeras, ac ratione pugnes non juriis, illius invidiam tua cumulaturus modestia: tamen, ut sic quoque rem geras, multo certe malum tacere te, utque tota res oblitteretur silentio. Quod ut illico fieri non potest, ita paulatim poterit, te ut spero volente. Scripseram Brixio, ut Antimorum, quem tum audiebam eum meditari, premeret, & si fuisset in tabellario diligentia, persuasissim, si vera scribit Brixius. Verum (quod ex ejus responsione vides) liber jam erat sub prælo, priusquam meam videret epistolam. Abs te vero, mi More, mihi plus profecto quam à Brixio polliceor, cui cum videam perluaturum fuisse me, si meæ ad illum literæ venissent in tempore, dubitare non debeo, quin abs te facile sim imperaturus, ut mea causa tantum impetreret ab affectibus tuis, ne eum qui & me amat, & vicissim amatur à me, magis etiam oneres novis libellis. Ab ulterutro

proficiatur oportet, hujus contentionis finis, nisi item alterna reciprocatione perpetuam effe velis. Et tua dignitas, tuique mores id postulant, ut abs te potius sit hujus rei initium. Credere mihi, mi More, tametsi Brixius hæc in re ita se gessit, ut nunc fortassis etiam ipsum peniteat, & si res esset integra, non sit facturus; (neque enim quisquam tam felix est, ut omnibus horis sapiat) tamen is est, quem si nosset proprius, hominis tum ingenio tum literis deleteris, neque quenquam alium facile repeteres, quem judicare amores tuo dignorem. Neq; debes ab omnibus tam sed atos affectus exigerre, quam omnes ferme pro cæteris factis tuis, proque spectata jamdiu prudentia prorsus expectant abste. Brixius quanquam in Chordigeram sua quædam scriplerat, in quæ tu lacessitus prius jure potueris acerbius etiam præserum ut tum res erant, rescribere; tamen postquam epigrammata tua, lepore quodam omnibus ad blandientia, omnium risus excitassent in illum, mirati non debes, si juvenis natura vehemens, famæque appetens, aliquantulum à consideratione sui facti dolore quodam animi tonus in tuos versus aversus, sibi putavit injuriam fieri quum se non animadverteret, neque merito, nec idoneo tempore vindicare. Scio te non tanti facere paucula epigrammata, quæ lufisti in illum, quin pati possis, ut in meam gratiam aboleantur; qui nisi monuisses sero, hoc tua sponte curabas olim, cum totum librum non libenter audires proditum in publicum. Igitur efficiam ut tua voluntate, cum posthac excuderetur liber, omittantur illa, atque vicissim ne propagetur Antimorus: ita fiet, ut si nihil accedat alimenti, ignis iste paulatim emoriatur. Quod si tam obfirmato animo decrevisti item hanc persequi, tamen per amicitiam nostram, neque novam neque vulgarem, precor etiam atque etiam, dispicias, ut rem tractandam putes. Ego si detur optio, te (ut dixi) tacere malum, ac rem plane contemnendam contemnere. Id si fieri non potest, quod proximum est optarim, ut quod & haec tenus à te curatum est, eruditione tantum & causa, non etiam maledicentia vincere pergas: Ut quoniā alterum amicum habere me video, non nihil hoc infelici casu mulsum, alterum saltem qui mihi sic est carus, ut unum omnibus habeam potiorem, possim perpetuo servare integrum, felicior futurus, si utrumque liceat. Etenim cum nihil sit homini pretiosius fido bonoque amico, par est nullius rei & turam quam amicitiae ducere gravorem. Hæc ictipsum in mediis turbis, in quibus nos non ignoras versari. Bene vale amicorum sincerissime. Antwerpia sexto Calend. Majas Anno M. D. XX.

## XII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S.D.

**N**on ignorabam, optime More, consilium istud vestrum, quantum libertatem incommodum mihi, ab animo amantissimo proficiisci, atque

que ideo non potui non boni consulere. Quanquam interim sedulo testatus sum vos Leo consulere non mihi. Perspectum erat hominis ingenium, hujusmodi tragediis natum. Satis ardebat sua sponte, & tamen habebat, qui quotidie oleum adderent camino. Ac s̄ per numero mecum admiratus sum, vobis non itidem animadversam Lei naturam, qui familiarius cum eo vivetis. Nec unquam eam pacem accepi, immo cum pacificus ille Pacæus opt. quidem animo, sed consilio mihi parum felici, reversus è legatione German. conaretur nos in gratiam redigere, pertinacissime reclamavi, testificans eam pacem nullum alium fructū adferre, nisi quem ego maxime fugerem. Nec enim alia rem agis offendit à Leo quam rumore libri adversum me scripti, quem ille cum sine fine jactaret, nunquam tamen ederet, paucis tantam juratis communicaens, quo sic me vocaret in invidiam, ut interim nec me doceret quicquā, nec ipse posset refelli. Nec alia mea fuit oratio apud ipsum Leum, quā fuerat apud Pacæum. Sed cum perspiciterem vobis concordi consilio sic esse dectetur, malum non servire meis comodis, quam pugnare cum animis vestris. Etenim quum nunc talis prodierit liber, ut iis etiam modis omnibus displiceat, qui haec tenus illi favebant, ut hoc organo in me am perniciem abutentur: quos ludos nobis præbuisset sacer ille liber, qui per paucos juratōs atq; cfastos Abbatulos circumferebatur, nec ostendebatur nisi initiatis, quum hic in quanto non ab uno adjutus est tot ineptis scateat? Cujus rei si liber facere periculum, confer hæc quæ edidit orbi, cum iis quæ scripsit selectis amicis. Sed hæc sera jam sunt. Cæterum quod hortaris, ut meminerim Christianæ modestiæ, sane memorem mones: etiam si non dubito futuros, qui modestiæ hanc vel ignaviam, vel formidinem, vel aliud quidvis interpretentur. Jam dudum aggressus sum illi respondere. Exit operis aliqua pars, ea (ni fallor) docebit, me Leum magis vincere moderatione animi quam eruditione. Ut hic mundus iuili gratiam referat, nec anxie postulo, nec admodum expecto. Verum admitor quorundam dementiam, qui posthabitis rebus omnibus, unum illud devotis animis agunt, ut quam minimum fructus ē meis vigilis ad studiosos perveniat: atq; hunc vitæ fructum optimum esse ducunt, si comodis omnium obsistant. Bene vale cum tuis omnibus, Vir immortalitate dignissime. Antverpiæ, postridie Cal. Majas anno M. D. XX.

## XIII.

ERASMUS ROTERODAMUS  
THOMÆ MORO S. D.

**Q**Uæ tibi narrata sunt de concertatiuncula, quæ mihi fuit apud hujus Acad. Rector. cum Nicol. Egmondano, nec omnino vera sunt, neq; tamen nihil habent veri: Sic enim solet rumor & augere quod gestum est, & variare fabulas, neq; vero mihi tam inimicus est, ut patiar illum mendacius traduci. Rem igitur ut habet, accipe: quandoquidem video nobis isthic tan-

tum esse otii, ut quid hic ineptiamus vacet cog noscere. Ubi literis expostulassem apud hujus Acad. Rectorem, quod Egmondanus in concione nos perstrinxisset, reascripti illi: Si placebet ipsum audire coram sua verba sonantem, fortasse rem posse componi. Respondi, me nihil detrectare, tamen si non essem nescius ab illo unde esset proditum. Convenimus, cohedite Rector, huic ego dexter assedi, sinister ille. Nec erat inanis ordo: noverat Egmondani mores, ac de me sibi falso persuaserat eum esse, qui possem irritari: proinde medius consedit, quo pugnari dirimeret, si forte læsuar, ad ungues ac pugnos effervesceret. Rem igitur paucis exponit Rector. Ibi composto ad mitram, sed ridiculam gravitatem vulu, infit Egmondanus: Ego nulli feci injuriam in sacris concionibus, si Erasmus te putat læsum, proferat, sum illi responsurus. Rogabam an puraret ullam artociorem injuriam, quam hominem imerentem in publica concione traducere mendaciis? ibi continuo comotus homo, & relicta quam cœperat persona magis eriam purpurascens (nam rubebat & antea, erat enim tempus pomeridianum) Et cur, inquit, tu nos traducis tuis sacris librī? In librī, inquam, meis nusquam est nomen tuum: nec in concionibus, inquit, meis auditum est nomen tuum. Negavi libros meos esse factos, in quibus aliquando narrem etiam somnia mea, nihilq; non nuger, non idem licere in sacris concionibus. Præterea longè minus, inquam, scripsi de te quam res habet: tu de me publice mentitus es, dicens, favisse Luchero, cui nunquam favim eum sensum, in quem tua dicta interpretatur populus, & ipse sentis. Ibi jam non cognitus, sed furenti similis: imo, inquit, tu es autor horum omnium, tu es versipellis ac veterator, & nihil non intorques cauda quadam. Atq; his similia multa evomuit verius, quam dixit, quæ illi tunc suggerebat splendida bilis. Sensi & mihi concitari stomachum, jamque vox quædam eruperat, sermonis non satis temperati procium, non quidem racha, sed aliud quiddam, quod pejus oleat quā sonat. Sed repressi me illicio, satius ducens, & mea (nam parū valebam) & Rectoris parcere valetudini, cui & ipsi cum Medicis res erat, postremo stultum & indecorum ratus adversus furentem furere: itaq; subtidens verti me ad Rectorem: possem, inquam, testari de insigni contumelia, possem regerere convitias: appellat me versipellem, liceret ipsum vicissim appellare vulpem: appellat me duplice, possem ipsum appellate quadruplicem: ait, me cauda contorquere omnia, possem dicere illum lingua sua inficere omnia: sed hæc nec viris digna sunt, ac vix etiam mulieribus. Agamus argumentis: finge me. Hic ille protinus interpellans magno clamore nautico: Non fingo, inquit, nolo fingere, hoc vestrum est; vos Poëtæ fingitis ac mentimini omnia. Jam magis ridere libebat quam indignari. Si fingere non vis, inquam, da igitur. Nolo, inquit, dare. Fac, inquit, ita esse. Non faciam, inquit. At pone ita esse, inquam. Non ponam, inquit. Sed igitur ita, inquit. At

At non est, inquit. Quid igitur, inquam, vis me dicere? Dic, inquit, ita est. Vix Rector impetravit, ut sineret me loqui. Ut verum sit, inquam, me in libris meis quædam scripsisse secus quam oportet, non tamen hoc erat tuum, ad animi tui vindictam abuti sacri loci, sacrae concionis autoritate, & populi simplicis credulitate; poteras vicissim in me scribere, poteras me in jus vocare. Nunc non tam mihi facis injuriam, quam toti huic Academiam, quam toti populo, quam sacrae concioni, quæ longe aliis fabulis dicata est. Hic quum decesserit homini quod responderet, alio, ut solet, deflexit. Ita, inquit, optares tibi similem autoritatem? Quam? inquam, concionandi? afluxit. At qui, inquam, & olim sum concionatus, & arbitror me posse meliora dicere, quam audio te aliquando proferentem. Quin igitur, inquit, facis? Quia puto me, inquam, manus opera preium facere scribendi libris: tametsi tuam industriam non improbarem, si modo doceres ea, quæ faciunt ad bonos mores. Ibi venit homini in mentem, quod scripsisset in literis ad Rector. (legerat enim) hæc mihi immententi, imò bene merenti, indigne fieri. Ubi, inquit, tu bene mereris? Fatentur, inquam, hoc plurimi, me non male meritum de bonis literis. Ja, inquit, sic vos eas appellatis, sunt malæ literæ. Et in sacris, inquam, literis multa restitui. Imo, inquit, multa falsasti. Cur, igitur, inquam, approbat Rom. Pontifex suo diplomate? Ja, diplomate, inquit: Quis vidit tuum diploma? subindicans à me constitutum esse. An postulas, inquam, ut diploma per singulos circumferam, aut in foro exhibeam? exhibui Atensi, vidit Dorpius. Ja Dorpius, inquit, additurus & in illum aliquid convicii, ni Rector illū vultu suo compeluerit. Videbis & tu si voles, inquam. Nolo, inquit, videre tua. Cur igitur damnas? inquam, cur in Lutherio damnando tantum apud te valet Pontificis autoritas, in meis probandis pluma levior est? Hoc sermone omisso, cœpit commemorare, jam velut affectum moturus arte Rhetorica, quantis honoribus affecissent me Theologii Lovaniens. priusquam in eos scripsisset. Quid non fecimus, inquit, tibi? Cæterum de virulentis obrectationibus, quibus me lanierat Egmundanus, etiam priusquam Lovaniū commigrarem, nulla metio. Respondi, non esse mei moris extenuare cujusquam in me beneficium, ceterum me hactenus Theologorum beneficio non admodum usum fuisse. Ibi nescio, quo patto factus mitior. Verum, inquit, quia non potuimus. Ergo, inquam, ne imputes quod non præstisti. Nam quantum potueritis male faciendo, sensi, officii nihil expertus sum, nisi quod vocasti ad acto, quos vocasti, & convivia quædam: solennia, à quibus nemo magis abhorret quam ego: tantum abest ut existimem me hoc nomine multum debere vobis. Vos me ultro invitastis ad amicitiam, ego ut nunquam ambii, ita nunquam dedi ansam dirimendæ. Ex hoc sermone venit homini in mentem, de sarta inter nos amicitia, uno ipso nondū satis placato, cum nemo stolidius læsisset, quam ille. Putant hoc esse religionis colophonem, ut illis supplices

sint, etiam qui non ferendis injuriis sint affecti: tantum abest, ut quemquam ipsi reconcilient, aut juxta doctrinam Evangelicam benefaciant ei, qui læserit. Bene mones, inquit, sartam inter nos fuisse concordiam, quid? annon fuit, inquam? Nonne compotavimus splendide in Collegio Falconis? (constiterat hoc prandium ejus domus Moderatori non mediocri pecunia: & quoniam erat dies Mercurii, tantum piscium erat paratum uni Egmondano, quantum satis esset quatuor athletis) Nonne proposita pacis conditio, ut utrinque deleret offensas omnes amnestia? Negavit ille fortiter, quod tot testibus actum erat. Rector interpellans ita moderatus est litem, ut fatetur, inter omnes Christianos esse aliquam concordiam, ceterum eam pacem non fuisse numeris omnib⁹ absolutam. Ego arridens rogabam, quota compotatione pax Theologica absolveretur? Me simplicem arbitrari, vel sine compotatione confici pacem inter bonos. Hinc cursus aliud illi venit in mentem. Rechè ad mones, inquit, tu nos habes ludibrio, & traducis tanquam ebrios. Expostulante me, ubi vocasset eum ebrium. Scribis, inquit, me fuisse uigidum à prandio largiore, quid hoc aliud est, quam esse ebriosum? Hoc, inquam, neq; te nominato scripsi, & narro ab aliis dictum: nam tui Carmelitæ hoc lemnate te excusabant, ne quis gravius ferret, quod dixeras uigidus à prandio largiore. Ja tui, inquit, indignans opinor, quod tui dixisse non refiri. Quod si maxime, inquam, edidisse nomen, quid erat flagiti⁹, si quod tu publice ausus es dicere, ego simili libertate reculissein? Nunchonoris tui gratia supprimo nomen tuum, & rem atrocem civiliter natro. Dixeras, Fabru ac me, qui nunc pugnaremus inter nos, olim pugnaturos in profundo tartaro. Ja, inquit, hoc ab aliis audisti. Verum, inquam, at non ab uno, sed audeas tu negare dictum? obtricuit; qua quidem in re primum sum admiratus novum hominis pudorem. Mox in alium campum exspatiatus, negavit se unquam facturu finem vociferandi in Lutherum, donec illum confeccisset. Respondi, per me licete illi vociferari usq; ad illum disruptionem, modo ne in me blateraret: neq; me queri, quod in Lutherum clamassem, sed quod in me: Quod ipsum, si illi usq; adeo cordi esset, pergeret, nihil tamen lucrificaturus, nisi ut esset bonis omnibus ludibrio, quandoquidem in ea concione vidisset passim omnes residentes. Hic ille: Ja, inquit, illi tui erant. Quam mei sint, inquam, nescio, plerosq; ne de facie quidem noveram. Inter cætera crimina objecit & hoc, quod allegarem epistolas illustriū virorum, qui mihi non nihil tribuerent: Significans eas à me configi, nec ullos esse qui mea probarent, cum ego ferme totum hoc epistolarum genus premam: simulque indicans, nihil oportere probatum haber, quod ipsius calculo non esset commendatum. Hinc conjicere licet simul & modestiam hominis, qui sibi tam parum tribuat, & simplicem pureque Christianum animum, qui nihil mali non suspicetur de proximo. Cum inter cætera dixisset, non debere videri mirum, sic ubi

querar nominis de Theologis in libris meis, cum Joannes Standitius Minorita, Theologus, Episcopus à sancto Asino, apud Regem ac Reginam Angliae, multis proceribus & eruditis adstantibus, impudentissime me detulerit tribus nominibus; primum quod tollerem resurrectionem, deinde quod nihil facerem sacramentum Matrimonii, præterea quod male sentirem de Eucharistia: cum in omnibus libris meis, nihil magis afferam quam resurrectionem, ac Matrimonium edita declaratione sic prædicarim, ut Theologi putarint errorem esse hæreticum, quod Matrimonio plus satis tribuerim: postrem cum de Eucharistia nusquam neque scriperim, neque locutus sim, nisi sicut decet, id est summa cum reverentia: Ja, inquit, haec omnia fortasse sunt vera. O vocem impotentis animi, sibique nihil non indulgentis: cur haec potius in me vera essent, quam si quis dicat Egmondianum compilasse sacrarum ædium gazzophylacium? quam incantasse morituros, ut sibi tradarent hæreditatem, frustratis hæredibus? quam ad quæstum prodidisse, quæ audivit in arcanis confessionibus? Haec fortasse probabilius in illum competenter, quam quæ volebat ille videti non abhorrentia à veris in me. Huic divo comitant patientes liberos tuos, ut imbibant veræ religionis semina. Quid tibi nunc referam singula? quicquid quoconque casu dicebatur, rapiebatur in occasionem convitii, non aliter quam solent pueri rixantes, ac mulierculæ procaces, quicquid dixeram regerebat in diversum. Objiciebat epistolam ad Lutherum scriptam. Illic, inquam, moneo quid debuerit vitare. Imo, inquit, doces eum scribere. Etiam hoc videbatur male habiturum hominem, si Lutherus aliquanto melius scriptisset: adeo illum perire cupiebat, non corrigi. Sed illud nullo modo concoquebat, quod adjectissem: non admoneo quid facias, sed ut quod facis, perpetuo facias. Hic cum excusarem civilitatem rhetoricae, qua negamus nos admonere, cum maxime admonemus, rursus incanduit. Pulchre, inquit, dicit, hoc vere Rhetorum est, omnia fucare, fingere, mentiri. Arridens fassus sum, aliquando mentiri Rhetores, sed interim mentiri nonnunquam & Magistros nostros. Rursum cum dicerem, me consuluisse dignitati Theologorum; respondit: nobis hanc curam relinque, nos prospiciemus. Cum adderem: exurendis Lutheri libris, eum è Bibliothecis eximi posse, ex animis non item. Ja, inquit, ex animis: ibi eum tu posuisti. Cum nihil inter nos conveniret, adeo ut si dicarem literas bonas, ille continuo vocaret malas: Si librum castigatum, ille falsatum: Si me dixisse alienum à factione, ille protinus factio caput appellaret, negaturus & intra oleam esse duri quicquam, aut extra juglandem esse duri quicquam, si quid tale affirmasset, Rector intersecans risum jam nimis longam, negavit haec esse digna Theologis: Selubentius auditurum, si quid faceret ad concordiam sarcindam. Age, in-

quam, quando negas eam concordiam unica compotatione potuisse coire, quid superest ad consummandam? Hortante Rectori, dixit: Ut sarcias famam nostram abs te largiam. Ubi, inquam, in epistolis et annuit. Illis, inquam, jam evulgatis, mihi non est in manu quod petis, quanquam illic nullius famam laesi. Ergo palinodiam, inquit, cane. Quam? Scribe Lovaniæ sinceros & probos esse Theologos. Id, inquam, haud unquam negavi, sed quosego taxavi, si mihi præbebunt probam materiam, magnifice de illis scribam. Hic irritatus: Et tu, inquit, si nobis præbueris bene loquendi materiam, bene de te loquemur. Tu stylum habes, nos lingua habemus. Taxas, inquit, nos quod tibi oblatremus à tergo, audeo tibi in os dicere. Nec mirum, inquam, tu, quibus es moribus, auderes etiam conspovere os boni viri. Negavit se adhuc esse tam contumacem. Hoc sermone interrupto Rector admonuit, ut de Luthero, quod caput erat, ageretur. Age, inquit, scripsisti pro Luthero, nunc scribe adversus illum. Hic infaustus me scripsisse pro illo, sed pro Theologis potius adversus illum, cum excusarem multa, otium, imperitiam, metum, inter alia prætexui suspicionem crudelitatis, si sevirem stylo meo in hominem prostratum ac victum. Imo hoc ipsum, inquit, scribe, Lutherum à nobis victum esse. Respondi, non desse qui hoc vociferarentur, vel me tacente: præterea magis fore decorum, si ipsi suam celebrarent victoriam, qui peperissent: postrem mihi non constare, quod eum vicissent, cum libri illorum nondum prodissent in lucem. Sub haec desperans, versus ad Rectorem ait, nonne prædicti nos nihil acturos? Quamdiu, inquit, detractat scribere adversus Lutherum, tamdiu habebimus eum pro Lutherano. At isthac, inquam, nomine tu mihi Lutheranus eris, qui nihil scribes adversus illum, neque tu solus tantum, sed innumeri recum. Atque ita non dicto, sed significato vale, Rectori non mihi, discessit: quemadmodum qui in gladiatoria Schola vulnus præter certaminis leges accepertunt, ceteris quidem dant dextram, ei à quo laesi sunt, non dant. Habet fere sumam illius præclarri colloquii, quod illi tamen visum est admodum blandum, cum hoc ageretur, ut me pelliceret eloquentia sua ad insectandum stylo meo Lutherum. Neque paetus est ille sibi perire hujus confictionis gloriam. Jackitavit apud compotores suos, quam fortiter obstitisset in os Eratmo. Rector eadem suis denarrans non sine risu, negavit se unquam crediturum fuisse, mihi tantum esse temperantiae. Quanquam non hinc mihi latidem hanc arrogo, qui proflus insanus fuisse, si cum illo contendissem. Et tamen est unus aut alter hoc sceleratior. Nam hic ut molestus est & pertinax, ita minus habet fuci, semper sui similis. Talem ajunt fuisse puerum, talem magistellum, talem Baccalaureum, talem Theologis Professorem, qualis nunc est Carmelita.

Ne Vulcanus quidem hunc reducat, neque refingat Mercurius. Sibi tamen videtur præcipua basis Christianæ religionis, & Ordinis Carmelitici decus. Tam jucundus est huic Academiæ, quam sunt fici in oculis. Sed vomicam hanc nemo potest excutere. Bene vale, mi More.

Lovanii Anno M. D. XX.

#### XIV. ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

**M**Ajorem in modum probo, laudoque mentem istam tuam, More Clarissime, qui nulla re magis gaudas dilectione quam fidis ac sinceris amicis, nec alibi præcipuam hujus vitæ delectationem ponendam esse ducas. Aliis cautio summa est, ne gemmis adulterinis deludantur; tu talium opum contemptor, abunde locuples tibi videris, si tuis possessionibus accesserit amicus neutiquam fucatus. Nec illi suavior est alea, latiunculi, venatio, musica, quam tibi cum amico docto ingenuoque libera confabulatio. Hoc opum genere cum vehementer abundes, tamen quoniam sciebam homini avaro nihil esse satis, & mihi tibique jam saepe successit feliciter: unum etiam tibi traditurus sum in manum, quem tu totum totus, toto pectore potes amare. Is est Conradus Goclenius, gente Westphalus. Qui populus ut vulgo rudior habetur, ita multos nobis dedit summis ingeniosis minis, eque vulgari doctrina præditos. Non aliud genus mortalium laboris patientius, fide morumque sinceritate, simplici prudentia, & prudenti simplicitate potissimum commendatur. Scis nuper institutum Lovani triplingue collegium. In eo publice Latinas literas, maxima cum laude, summo totius Academiæ fructu, profitetur, ea morum integritate comitateque, ut literas suas docet, etiam apud illos reddat gratias, qui prius avertabantur. Ingenium argutum, quod feliciter sui specimen præbuit, etiam in his disciplinis, quas solenniter tradunt in Scholis publicis. Sales habet, sed prouersus Atticos, ac lepidis fabellis, vel tecum certare queat. In carmine peculiarem quandam habet gratiam, nusquam non dilucidus, nusquam non dulcis & amoenus. Nec est ullum argumentum tam inamabile, quod illo tractante non mitescat. In prosa oratione sic est sui similis, imo sic est sui dissimilis, ut illius soluta legens, putas eum prouersus alienum esse à carmine. Ad amicitiam plane factus videtur. Quam si semel cum eo coieris, non est quod metuas, ne quis casus eam dirimat. Hoc utsu venit in his, qui vel natura perfidi sunt, vel impotentibus affectibus. Siquidem istiusmodi solent ad enatam occasionem desciscere, & amicitiae legibus neglectis, animo suo morem gerere. Hic neque gloriae est appetens, neque injuria admodum vindex, neque voluptatis ullius immodice avidus. Invidere quid sit, ne per somnium quid rem unquam in-

tellexit, tantus est ingenii candor. Quod ad vitæ consuetudinem attinet, nihil eo facilis, nec magis alienum ab omni morositate. Ceterum à lucro nihil hoc aversius, tamen si fortuna adhuc tenuis est, nec aliud suppeditans quam vi cunctum mundum, & supellecilem literariam. Quod si nostri principes, profani patriter atque ecclesiastici, didicissent egregiis ingenii habere suum honorem, quemadmodum apud Italos habetur, Goclenius noster totus aureus esset. Sed tamen expurgiscuntur. Jam enim fere nullus est Magnatum, qui non curet suos liberos bonis literis diligenter instituendos, licet inter aulicos Proceres nemo literas calleat, præter unum Georgium Haloinum, cui cultæ hactenus præter invidiam nihil fructus attulerunt: quanquam, ni fallor, brevi plurimum dignitatis sunt allaturæ. Jam spero futurum, ut simul atque Goclenium propius cognoris, ab utroque mihi gratiae agantur; quod nuper accidit in Francisco Craneveldio, qui unum sicut te totum possidet, ut illi propemodum invideam. Bene vale.

Anderlaci Anno M. D. XX.

#### XV. ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

**I**N tot molestiis quibus undique circumvallor, plurimum attulit solatii Sejenissimi Regis epistola humanissime scripta, qua me invitavit in Angliam, omnia pollicens benignissimo digna principe. Admonet quod olim scripserim, in Anglia senectuti meæ sedem deleguisse. Nunc vero, mi More, res in eo sunt statu, ut mihi sepulchri locus sit circumspiciendus, ubi vel mortuo liceat quietum esse, quando, ut video, non contingat hoc unquam vivo. Omnes divinant magnos rerum motus iminere. Anabaptistarum hæresis meditatur erumpere, quæ latius sparsa est quam quisquam credat. Tragedias meas cognosces ex hoc Quirino meo, juvene mihi perspectæ fidei, quem quoniam novit omnia mea, in Angliam præmittendum arbitratus sum, ut per eum dispiciam cum amicis quid fieri poscit, aut quid expediat. Egistera gratias regiae benignitati, sed quoniam tot laboribus pæne exanimato nihil erat otii, malui ad tantum Principem nihil scribere quam negligenter. Si videbitur, tu melius illi declarabis animum meum, nec ignarum nec immemorem tam eximiæ benignitatis, quam mihi toties offert nihil promerito. Opto te cum tibi carissimus quam bellissime valere. Datum Basileæ, pridie Cal. Martias, Anno M. D. XXVIII.

#### XVI. ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

**Q**uo diutius grayiusq; nos torfit pacis inter potentissimos orbis Monarchas expeditatio,

Etatio, Thoma More amicorum optime, hoc uberiore gaudio nunc exultamus sublatum exitibile diffidium, adeo ut nondum satis audemus felicitati nostræ fidere. Perdurat quidem constans rumor, perscribitur multorum epistolis, narratur multis haudquam levibus autoribus, sed tamen adhuc veluti somnium audit evideatur, quod accidere solet post sumnum dolorem, rebus subito in vehementer lœtum exitum commutatis, quem admodum accidere solet intragœdiis, Deo quopiam repente de machina semet ostendente. Neque vero nesciunt homines, se bonam hujus gaudii partem debere invictissimo Anglæ Regi Henrico Octavo, qui summa prudecacia, patique constantia non conquievit, donec minnedabilem, ut videbatur, discordiam vertisset in omnibus exoptaram concordiam. Superest omnibus votis comprecari superos, ut hoc munus suum velint nobis esse perpetuum: aut si in rebus mortaliis nihil omnino perpetuum est, certè diuturnum. Ego sane perquata lubens optimi pacificatoris tam plam vereque Christianum animum aliquo monumento posteris, si qua possim, fecero testatum. Mihi sat beatus viderer, mi More, si Fernando Regi res tam essent secundæ, quam illius insignis pietas promeretur, qui mihi profecto videtur ad omnem virtutem natus; Erasmo tam candidè fayet, ut amiciorem animum optare non possim. Ante biennium invitavit me Viennam, salario quadringentorum florenorum, tantum ut illic viverem. Nuper bibonem quiesdam tribus verbis commendatam Episcopo Tridentino, illius Cancellario, ut esset in numero satellitum equicum; Rex illico locum dedit, quid inquiens, non faciem pro Preceptorre meo Erasmo? Nihil unquam de illo sum meritus: quid non faceret, si quid officii in illum collocasset, qui nunc nullam occasionem prætermittit mihi gratificandi. Sed nondum fortuna respondit optimi principis egregiis do-ribus. Nuper Spiræ fuit, ut Icis, conventus principum, perebatur subsidium aduersus Turcas imminentes Hungariæ. Oblata est summa pecunia tam exigua, ut maluerit pro animo gratias agere quam pro munere debere. Quid acciderit Matiæ Cæsaris sorori, & hujus marito Ludovico, norunt omnes. Nunc Turca rursus invaserit Hungariam, bonamque partem populatus est. Maria cui dicavi Viduam, metu cessit in Moravia civitatem, vulgo dictam Snamen, ne Viennæ quidem satis fidens. Turea horret Cæsaris indies crescentem potentiam, eoque maluisset Joannem vicinum Regem quam Ferdinandum. Et fortassis aliquis dicer, hic quoque satius futurum fuisse dimi-

dum accipere quam totum. Sed arbitror diuinum consilium alio spectare, nec dubito, quin æterni numinis bonitas omnia versura sit in lœtum exitum, si nos animum ad ea vertemus, quæ illi sunt placita. Ea quæ sint, non tam ignoramus quam dissimulamus. Utinam Cæsar maturius composito cum Gallorum Rege diffidio, fratri ac sorori suæ in tempore adfuisse. Metuo ne nimium diu moretur illum Italia, & Pontificis amplexus, cui non dubito, quin pro sua religione sit exhibitus honorem omnem quem filius deber patri. Sed utinam ille gloriam ab hominibus ob Christum exhibitam Christo transtribat, quæd tamen hunc Clementem futurum non diffido. Fœderibus principum admiseri Pontificem, mihi nec Pontifici videtur expedire, nec Reipublicæ Christianæ. Ille major est, quam ut ullo fœdere sit adstringendas, mea quidem sententia. Si resedisse Basileæ, Theologi clamassent me comprobasse, quæ illic geruntur. Nunc quidem jactant me cessisse metu, quum discesserim omnibus dolentibus, etiam iis, quorum dogmata palam ac libere improbabam. Sane invitus reliqui nidum quem tot annis presseram, & talis erat valetudo, ut nullam omnino mutationem lacra videretur. Nec me clam erat, quanto dispendio migratus essem. Sed de vita periclitari malui, quam videri comprobatoris instituti. Erat bona spes, rem ad moderatum statum reddituram; sed duo monachi, alter concionator in summo, alter apud suos Dominicanos, excitauit nobis hunc tumultum. Illi quidem fugerunt, alii vero feruntur malo. Georgius Saxonæ Dux non minus odiose constat, cum Lutherò, quam ego cum thrasone quodam nugacissimo. Admonui illum, ut negligenter hominem, cui plus satis feroci adderet animos. Interim triumpfat, qui tanto etiam principi facebat negotium. Haec tenus profectio valetudini profuit, idque præter omnem spem: Æstas hic vehementer atrist, sed autumnum metuo: oppidum semicinctum est proxime iminentibus montibus, ut vix ullus dies abeat absque nube aut nebula. Magistratus mihi designavit ædes plane regias, pridem extructas Maximiliano Cætati, sed imperfectas, & æstati quam hyemis aptiores. Utinam liceat adhuc semel in vita videre amicos mihi charissimos, quos in pietura, quam Olpejus exhibuit, utcumque conspexi summa cum animi mei voluptate. Bene vale cum tibi charissimis omnibus.

Datum apud Friburgum Brisgoia Nonis Septembr. M. D. XXIX.

## SEQUENTEM

## ERASMI EPISTOLAM.

Quia vitam THOMÆ MORI describit,

Adjiciendam duximus.

DESID. ERASMUS ROTERODAMUS

## ULRICO HUITENO

S. D.

**Q**uod THOMÆ MORI ingenium sic deamas, ac pene dixerim deperis, nimurum scriptis illius inflatus, quibus (ut verè scribis) nihil esse potest neque doctius nequa festivius: isthuc mihi crede; Clarissime Huttene, tibi cum multis commune est, cum Moro mutuum etiam. Nam is vicissim adeo Scriptorum tuorum genio delectatur, ut ipse tibi propemodum invideam. Hæc videlicet est illa Platonis omnium maxime amabilis sapientia, quæ longè flagrantiores amores excitat inter mortales, quam ulæ quamlibet admirabiles corporum formæ. Non cernitur illa qui dero oculis corporeis, sed & animo sui sunt oculi: ut hic quoque verum compariatur illud Græcorum, ἐκ τὸν ὄπαν γένεται ἀρρεπόνοις ἔπαν. Per hos sit aliquoties, ut ardentissima caritate conglutinentur, inter quos nec colloquium nec inutus conspectus intercessit. Et quemadmodum vulgo sit, ut incertis de causis alia forma alios rapiat: ita videtur & ingeniorum esse tacita quædam cognatio, quæ facit ut certis ingenii impensè delectemur, cæteris non item. Cæterum quodd à me flagitas, ut tibi totum Morum velut in tabula depingam, utinam tam absolute præstare queam, quam tu vehementer cupis. Nam mihi quoque non injucundum fuerit, interim in amici multo omnium suavissimi contemplatione versari. Sed primum, οὐ παντὸς ἀνθρόπος ἔγειρι, omnes Morides perspexisse: deinde haud scio an ille laturus sit, à quolibet artifice depingi se. Nec enim arbitror levioris esse operæ Morum effingere, quam Alexandrum Magnum, aut Achillem: nec illi quam hic noster immortalitate digniores erant. Tale argumentum prorsus Apellis cuiuspiam manum desiderat: at vereor, ne ipse Fulvii Rutubæque similiorsim, quam Apellis. Experiar tamen tibi toriushominis simulachrum delineare verius quam exprimere, quantum ex diutina domesticaque consuetudine vel animadvertere licuit, vel meminisse. Quod si quando fieri, ut vos aliqua legatio committat, tum demum intelliges, quam non probum artificem ad hoc negotii delege-

ris: vereorque planè, ne me aut invidentia incuses, aut cæcūtientia, qui ex tam multis bonis tam pauca vel viderim lippus, vel commemorare voluerim invidus. Atque ut ab ea parte exordiar, qua tibi Morus est ignotissimus: Statura modoque corporis est infra proceritatem, supra tamen notabilem humilitatem. Verum omnium membrorum tanta est symmetria, ut nihil hic omnino desideres: Cuta corporis candida, facies magis ad candorem vergit, quam ad pallorem: quamquam à rubore procul absit, nisi quodd tenuis admodum rubor ubique sublucet: capilli subnigro flavore, sive mavis, sufflavo nigore: barba rarior, oculi subcæsi, maculis quibusdam interspersi: quæ species ingenium arguere solet felicissimum, apud Britannos etiam amabilis habetur, cum nostrinæ græce magis capiantur. Negant ullum oculorum genus minus infestati vitiis. Vultus ingenio respondet, gratam & amicam festivitatem semper præse ferens, ac non nihil ad ridenter habitum compositus: atque ut ingenuè dicam, appositior ad jucunditatem, quam ad gravitatem aut dignitatem, etiam si longissimè abest ab inepta scurilitateque. Dexter humerus paulo videtur eminentior lævo, præsertim cum incedit; id quod illi non accidit natura, sed astuetidine, qualia per multa nobis solent adhærere. In reliquo corpore nihil est quod offendat, manus tantum subrusticæ sunt; ita duntaxat, si ad reliquam corporis speciem conferantur. Ipse omnium quæ ad corporis cultum attinent, semper à puero negligentissimus fuit, adeò ut nec illa magnopere curare sit solitus, quæ sola viris esse curanda docet Ovid. Formæ venustas quæ fuerit adolescenti, nunc etiam licet ἐπὶ καλάμῳ concicere: quamquam ipsenovi hominem, non majorem annis vigintitribus: nam nunc non multum excessit quadragessimum. Valetudo prospera magis quam robusta, sed tamen quæ quætitilibet laboribus sufficiat, honesto cive dignis, nullis aut certè paucissim. morbis obnoxia: spes est vivacem fore, quando patrem habet admodum natu grandem, sed mirè virenti vegetaq; senectute. Neminem adhuc vidi minus morosum in delectu ciborum. Ad juvenilem usq; etatem aquæ

aqua potu delectatus est, id illi patrum fuit. Verum huc in re ne cui molestus esset, fallebat convivas è stanneo poculo cerevisiam bibens, eamque aquæ proximam, frequenter aquam meram. Vinum, quoniam illic mos est ad idem poculū vicissim invitare sese, summo ore non nonquam libabat, ne prols abhortere videatur, simul ut ipse communibꝫ rebus assueceret. Carnibus bubulis, salsa mentis, pane secundario, ac vehementer fermentato libentius vescebatur, quam his cibis quos vulgus habet in delicis: alioqui neutquam abhorrens ab omnibus, quæ voluptatem innoxiam adferunt etiam corpori. Lactariorum, & eorum fœtuum qui nascuntur in arboribus semper fuit appetentior: esum ovorum in delicis habet. Vox neq; grandis est, nec admodum exilis, sed quæ facile penetrer aures, nihil habens canorum, ac molle, sed planè loquentis est, nam ad Musicam vocalem à natura non videtur esse compitus, et jam si delectatur omni Musices genere: lingua mirè explanata articulataque, nihil habens nec præceps, nec hæsitans. Cultu simplici delectatur, nec sericis, purpurave, aut catenis aureis uititur, nisi cum integrum non est ponere. Di-ctu mirum, quam negligens sit ceremoniarum, quibus hominum vulgus æstimat morum civilitatem: has ut à nemine exigit, ita alii non anxiè præstat, nec in congressibus, nec in conviviis: licet harum non sit ignatus, si lubeat uti; sed muliebre putat, viroq; indignum, ejusmodi ineptis bonam temporis partem absumere. Ab aula principumque familiaritate olim fuit alienor, quod illi semper peculiariter invita fuerit tyrannis, quemadmodum equalitas grauissima. Vix autem reperiā ullam aulam tam modestā, quæ non multum habeat strepitus atq; ambitionis, multum fuci, multum luxq; quæq; profus absit ab omni specie tyrannidis. Quin nec in Henrici VIII. aulam pertrahi potuit, nisi multo negocio; cum hoc Principe nec optari quicquam possit civilius ac modestius. Natura libertatis atq; occii est avidior, sed quemadmodum otio cum datur, lubens uititur, ita quoties poscitur res, nemo vigilantior aut patientior. Ad amicitiam natus factusq; videtur: cuius & sincerissimus est cultor, & longè tenacissimus. Nec ille meruit πολυφίλα, ab Hesiodo parum laudata. Nulli non patet ad necessitudinis fœdus. Nequaquam morosus in diligendo, commodissimus in alendo, constantissimus in retinendo. Si fors incident in quicquam, cuius virtutis mederi non possit, hunc per occasionem dimittit, dissuens amicitiam, non abrumpens. Quos sinceros reperit, & ad ingenium suum appositos, horum consuetudine fabulisque sic delectatur, ut in his rebus præcipuum vitæ voluptatem ponere videatur. Nam à pila, alea, chartis, cæterisq; lusibus, quibus vulgus procerum temporis tedium sollet fallere, prols abhorret. Porro ut propriorum rerum est negligentior, ita nemo diligenter in curandis amicorum negotiis. Quid multis? Si quis absolutum veræ amicitiae requirat exemplat, à nemine rectius petierit, quam à

Moro. In convictru tam rara comitas, ac morū suavitas, ut nemo tam tristis sit ingenio, quem non exhibaret: nulla res tam atrox, cuius tardium non discutiat. Jam inde à puero sic jocis est delectatus, ut ad hos natus videri possit: sed in his nec ad securritatem usque progressus est, nec mordacitatem unquam amavit. Adolescentes comediolas & scripsit & egit. Si quod dictum esset falsius etiam in ipsum tortum, tamen amabat: usque adeò gaudet talibus argutis, & ingenium redolentibus: unde & epigrammatis lusit juvenis, & Luciano cumpromis est delectatus. Quin & mihi ut Morias encomium scribere, hoc est, ut camelus saltarem, fuit autor. Nihil autem in rebus humanis obvium est, unde ille non venetur voluptatem, etiam in rebus maximè seriis. Si cum eruditis & cordatis res est, delectatur ingenio, si cum indoctis ac stultis, fruitur illorum stultitia. Nec offenditur motionibus, mira dexteritate ad omnium affectus sese accommodans. Cum mulieribus ferè, atque etiam cum uxore, non nisi lusus jocosus tractat: diceres alterum quendam esse Democritum, aut poti⁹ Pythagoricum illum Philosophum, qui vacuus animo per mercatum obambulans, contemplatur tumultus vendentium atque ementium. Nemo minus ducitur vulgi judicio, sed rursus nemo minus abest à sensu communi. Præcipua illi voluptas est spectare formas, ingenia & affectus diversorum animantium. Proinde nullum ferè genus est avium, quod domi non alat; si quod aliud animal vulgo ratum, veluti simia, vulpes, viverra, mustela, & his consimilia: ad hæc si quid exoticum, aut alioqui spectandum occurrat, avidissime mercari solet; atque his rebus undiq; dominum habet instructam, ut nusquam non sit obvium, quod oculos ingredientiē demorerit: ac toties sibi renovat voluptatem, quoties alios conspicit obiectati. Cum etas ferret, non abhorruit à puellarum amoretibus, sed citra infamiam, & sic ut oblati magis fruere tur, quam capratis: & animo mutuo caperetur potius, quam coitu. Bonas literas à primis statim annis hauserat. Juvenis ad Græcas literas ac Philos. studium sese applicuit, adeò non opitulante patre, viro alioqui prudenti proboque, ut ea conantem omni subsidio destitueret, ac penè pro abdicato haberet, quod à patriis studiis desciscere videretur: nam is Britannicarum legum pertitiam profitetur. Quæ professio, ut est à veris literis alienissima: ita apud Britannos cumpromis habentur magni clatique, qui in hoc genere sibi pararunt authoritatem: nec temere apud illos alia via ad rem ac gloriam parandam magis idonea: siquidem plerisq; nobilitatem illius insulæ peperit hoc studiorum genus. In eo negant quemquam ablovi posse, nisi plurimos annos insudarit. Ab hoc igitur cum non injuria abhorret adolescentis ingenium, melioribus rebus natum, tamè post degustatas scholasticas disciplinas, sic in hoc versatus est, ut neque consulenter quemquam libentius litigatores, neq; quæstum uberiorem faceret quisquam eorum, qui

qui nihil aliud agebant. Tanta erat vis ac celeritas ingenii. Quin & evolvendis Orthodoxorum voluminibus non segnem operam impendiit. Augustini libros de Civitate Dei publice professus est, adhuc penè adolescentis, auditorio frequenti: nec puduit, nec pœnituit sacerdotes ac senes à juvene profano sacra discere. Interim & ad pietatis studium totum animum appulit, vigiliis, jeuniis, precatiōibus, aliisque consimilibus progymnasmati sacerdotium medicans. Qua quidem in re non paulo plus ille sapiebat, quam plerique isti, qui temere ad tam arduam professionem ingerunt se, dulce prius sui periculo facto. Neq; quicquam obstabat quo minus se huic vitæ generi adiceret, nisi quod uxoris desiderium non posset excutere. Maluit igitur maritus esse castus, quam sacerdos impurus. Tamen virginem duxit ad modum puellam, claro genere natam, rūdem adhuc, utpote tui inter parentes ac sorores semper habitam, quo magis illi licet illam ad suos mores fingere. Hanc & literis instruendam curavit, & omni musices genere doctam reddidit: planeque talēm penè finixerat, qui cum libuisset universam ætatem exigere, ni mors præmatura puellam fustulisset è medio, sed enīxā liberos aliquot, quorum adhuc superlunt puellæ tres, Margaretha, Alcydia, Cæcilia, puer unus Joannes. Neque diu cœlebs vivere sustinuit, licet aliò vocantibus amicorum consiliis. Paucis mensibus à funere uxoris, viduam duxit, magis curandæ familiæ, quam voluptati, quippe nec bellam admōdum, nec puellam, ut ipse jocari solet, sed acrem ac vigilantem matrem familiæ: qui cum tamen perinde comiter suavitetque vivit, ac si puella foret forma quantum libet amabili. Vix ullus maritus à sua tantum obsequiū impetrat imperio arque severitudine, quantum hic blanditiis jocisque. Quid enim non impetrat, postquam effecit, ut mulier jam ad senium vergens, ad hoc animi minimè mollis, postremò ad rem attentissima, cithara, testudine, monochordo, tibiis canere disceret, & in hisce rebus quotidie præscriptum opera pensum exigenti marito redderet? Consimili comitate totam familiam moderatur, in qua nulla tragedia, nulla rixa. Si quid extiterit, protinus aut medetur, aut componit. Neque queriā unquam dimisit, ut inimicum, aut ut inimicus. Quin hujus domus fatalis quædam videtur felicitas, in qua nemo vixit, qui non proectus sit ad meliorem fortunam, nullus unquam ullam famæ labem contraxit. Quin vix illos repertas, quibus sic convenerit cum matre, ut huic cum novera: nam pater jam alteram induxerat, utramque non minus adamavit, ac matrem. Nuper induxit tertiam, hac Morus sancte dejerat, se nihil unquam vidisse melius. Porri erga parentes ac liberos, sororesque sic affectus est, ut nec amet inolestè, nec unquam desit officio pietatis. Animus est à sordido lucro alienissimus. Liberis suis semovit è facultibus,


quod satis esse putat, quod superest, largiter effundit. Cum advocationibus adhuc aleretur, nulli non dedit amicum verumque consilium, magis illorum commodis prospiciens quam suis: plerisque solitus persuadere, ut item componerent, minus enim hic fore dispensii. Id si minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua possent quam minimo dispendio litigare: quando quibusdam hic animus est, ut litibus etiam deleantur. In urbe Londoniensi, in qua natus est, annos aliquot judicem egit in causis civilibus. Id munus ut minimum habet oneris (nam non federetur nisi die Jovis usque ad prandium) ita cum primis honoris cum habetur. Nemo plures causas absolvit, nemo se gessit integrus, remissa plerisque pecunia, quam ex præscripto debent qui litigant. Siquidem ante litis contestationem aetori deponit tres drachmas, totidem reus, nec amplius quicquam fas est exigere. His moribus efficit, ut civitati suæ longè carissimus esset. Decrēverat autem hac fortuna esse contentus, quæ & satis haberet autoritatis, nec tamen esset gravibus obnoxia periculis. Semel atque iterum extrusus est in legationem, in qua cum se cordatissime gessisset, non conquevit Serenissimus Rex Henricus, ejus nominis Octavus, donec hominem in aulam suam pertraheret. Cur enim non dicam pertraheret? Nullus unquam vehementius ambitus in aulam admitti, quam hic studuit effugere. Verum cum esset optimo Regi in animo, familiam suam eruditis, gravibus, cordatis, & integris viris difficiam reddere, cum alios permultos, tum Morum in primis accivit, quem sic in intimis habet, ut à se nunquam patiatur discedere. Sive feriis tretendum est, nihil illo consultius: sive visum est Regi fabulis amœnioribus laxare animum, nullus comes festivis. Sæpe res ardua judicem gravem & cordatum postulant; has sic Morus discutit, ut utraq; pars habeat gratiam. Nec tamen ab eo quisquam impetravit, ut manus à quoquam acciperet. Felices Respublicas, si Mori similes Magistratus ubique præficeret Princeps. Nec interim ullum accessit supercilium. Inter tantas negotiorum moles, & veterum amicorum meminit, & ad literas adamatas subinde redit. Quicquid dignitate valet, quicquid apud amplissimum Regem gratia pollet, id omne juvandæ Republicæ, juvandis amicis impendit. Semper quidem adfuit animus de cunctis benemerendi cupidissimus, miteque pronus ad misericordiam: cum nunc magis exerit, quando potest plus prodefse. Alios pecunia sublevat, alios auctoritate ruetur, alios commendatione provehit, quos aliqui juvare non potest, his consilio succurrat. Nullum unquam à se tristem dimisit. Dicentes, Morum esse publicum omnium inopum Patronum. Ingens lucrum sibi putat accessisse, si quem oppressum sublevavit, si perplexum & impeditum explicuit, si alienatum rededit in gratiam. Nemo lubentius collocat beneficium,

ciūm, nemo minus exprobrat. Jam cū tot nominibus sit felicitissimus, & felicitatis comes ferē soleat esse jactantia, nullum adhuc mortalium mihi videre contigit, qui longius abslet ab hoc vito. Sed ad studiorum commemorationē reddeo, quā me Moro, mihi-que Morū potissimum conciliarunt. Primam ætatem carmine potissimum exercuit, mox diu luctatus est ut prosam orationem redderet molliorem, per om̄e scripti genus sīc lum exercens: qui cujusmodi sit, quid attinet commemorare? tibi præfertim, qui libros ejus semper habeas in manib⁹. Declamationib⁹ præcipue delectatus est, & in his materiis adīgōit, quod in his acrior sit inge-  
niorum exercitatio. Unde adolescens etiam-  
num dialogum moliebatur, in quo Platonis  
communitatem ad uxores usque defendit.  
Luciani Tyrannicidæ respondit, quo in ar-  
gumento me voluit antagonistam habere:  
quo certius periculum faceret, ecquid pro-  
fecisset in hoc genere. Utopiam hoc consilio  
edidit, ut indicaret quibus rebus fiat, ut minus  
commodo habeant Republicæ, sed Britan-  
nicam potissimum effinxit quam habet peni-  
tus perspectam cognitamque. Secundum  
librū prius scriptet per oritum, thos per  
occasioneum primum adjectit extempore:  
atque hinc nonnulla dictiois inæqualitas. Vix  
alium reperias, qui felicitus dicat extempore:  
adeo felici ingenio felix lingua subservit. In-  
genium prælens, & ubique prævolans: me-  
moria parata: quā cū omnia habeat vel-  
ut in numerato, propterea & incontanter  
suggerit, quicquid tempus aut res postulat. In  
disputationib⁹ nihil fingi potest acutius, adeo  
ut summis etiam Theologis s̄epe negotium  
faciat, in ipsorum atena versans. Johani-  
ties Coletus, vir acris, exactique judicis, in  
familiaribus colloquis subinde dicere solet,  
Britannæ non nisi unicum esse ingenium: cum  
hæc insula tot egregiis ingenii floreat. Veræ  
pietatis non indiligens cultor est, etiam si ab  
omni superstitione alienissimus. Habet suas  
horas quibus Deo litet precib⁹, non ex mo-  
te, sed è pectori depræmptis. Cum ami-  
cis sic fabulatur de vita futuri seculi, ut agno-  
scas illum ex animo loqui, neque sine optima  
spe. Ac talis Morus est etiam in aula. Et  
postea sunt, qui putent Christianos non inveni-  
ti, nisi in monasteriis. Tales viros cordatis-  
simus Rex in familiam suam, atque adeo in  
cubiculum non solum admittit, verum etiam per-  
trahit. Hos habet arbitrios ac testes perpetuos  
vitæ tuæ: hos habet in consiliis, hos habet  
itinerum comites. Ab his stipati gaudet, po-  
tius quā luxuriantibus juvenibus, aut mulier-  
culis, aut etiam torquatis Midis, aut insin-  
tis officiis: quorum aliis ad voluptates incen-

ptas avocet, aliis ad tyrannidem inflam-  
met, aliis ad explandum populum no-  
vas technas suggerat. In hac aula si vixisses,  
Hutte, sat scio rursum aliam aulam descri-  
beres, & misulos esse desineres: quanquam  
tu quodque cum eo Principe vivis, ut inté-  
griorē nec optare possis. Neque defūnt  
qui rebus optimis faveant, veluti Strotherus  
ac Coppel. Sed quid ista paucitas ad tan-  
tum examen insignium virorum, Montioii,  
Linacri, Pacæi, Coleti, Stochelii, Latime-  
ri, Mori, Tonstalli, Clerici, atque aliquotum  
his ad similiū: quorum quocunq; nomi-  
natis, mundum omnium virtutum ac disci-  
plinatum semel dixeris. Mihi vero spes est  
haudquaquam vulgaris, fore, ut Albertus, ut  
cum his temporibus nostræ Germanæ orna-  
mentum, & plutes sui similes in suam alle-  
gat familiam, & cæteris principibus gravi sit  
exemplum, ut idem & ipsi tuae quisque domi fa-  
tere studeant. Habet imaginem ad optimū  
exemplar à pessimo artifice non optime deli-  
neatam. Ea tibi minus placebit, si continget  
Morum nosse proprius. Sed illud tamen inte-  
rim cavi, ne mihi possis impingere, quod ti-  
bi minus patuerim, neve semper opprobres  
nimium breves Epistolæ. Etiam si hæc nec  
mihi scribenti visa est longior, nec tibi legenti,  
sat scio, prolixa videbitur: id faciet Motus nostri  
suavitas. Verum ne nihil ad postremam tuam  
Epistolam respondeam, quam prius excusam  
legi quā scriptam, clarissimi Principis Al-  
berti, humanitatem ex ipsius etiam ad me li-  
teris intellexi. Sed qui quæso factum, ut  
patera prius ad omnes pervenieret tuis literis,  
quam ad me? Certe per neminem certius mit-  
tere poteras, quād per Richardum Pacæum,  
serenissimi Anglia Regis Oratorem, sive me  
haberet Brabantia, sive Britannia. Tu, qua-  
rum video, & calamo & enle graviter belli-  
geraris: nec minis tamen feliciter, quād fot-  
titer. Nam apud Cardinalem Cajetanum au-  
dio te magnifici etiam iniis gratiam. Capnio-  
ni bene esse gaudeo, Francisci Sichni hominem  
non sinere emori literæ, nisi velint integratu-  
dinis postulati. De tebus nostris alias: nunc  
illud tantum. Res hic sordidissimis sycophantiis agitut; quibus artibus ut imparem  
me fatear, necesse est. Si quis est istius qui  
cupiat artem sycophanticam discente, indicabo  
illi quendam hujus disciplinæ mītum artifi-  
cem, quem huic rei planè natum dicas. Mi-  
nus bonus Orator Cicerio, quam hic sycophanta:  
& teperit dociles multos apud nos. Non-  
dum tētupis est, verum brevi vobis hominem  
commendabo, ut quo dignus est, quodque  
minere ambit, omnium Eruditorum literis ce-  
lebretur, portentum vetius quād homo.

Bene vale. Antwerpia X. Cal. Aug.

Anto M. D. XIX.



Sequentem Epistolam sub *Nucerini* ejusdem nomine editam, Erasnum eundem auctorem habere persuasum est nonnullis;

Quicunque vero auctor sit, elegans sane est & legimeretur, duorum Angliae celeberrimorum Virorum obitus enarrans.

## GULIELMUS COVRINUS NUCERINUS PHILIPPO MONTANO

S. D.

**Q**UONIAM juxta Pythagoræ sententiam oportet omnia esse communia, rectè collegit Euripides, & dolores inter amicos oportere communes esse. Accipies igitur, vir amicissime, ab amico minime lata, sed omni lacrymarum genere bonis omnibus deploranda: quanquam arbitror famam istuc jam dudum omnia pertulisse priusquam ad nos, de morte quorundam apud Anglos insignium virorum, sed præcipue THOMÆ MORI, dum vivet eus regni Baronis incliti, ac supremi judicis, quem illi Cancellarium appellant; qua dignitate non est apud eam gentem alia major, excepto Rege, eoque quum prodit, aureum sceptrum imposita corona Cæsarea gestatur ad unum latus, ad alterum liber. Quæ veteri sum narraturus partim è schedis Gallicè scriptis, quæ hic circumferuntur, desumpsi, partim è rumoribus. Nam nihil horum vidi. Sed priusquam aggrediar, paucis describam Londotiensis urbis ritum. Civitas in latum angusta, ad Thamylis flumen sic in longum porrecta est, ut videatur non posse definire, unde & nomen videtur inditum: siquidem apud Flandros loca mari vicina Dunen appellant. Indidem dictum videtur Galliarum *Lugdunum*, quasi dicas, *longas ripas*. Ad Orientem in extremo habet arcem bene munitam, qua reges interdum utuntur, vulgus Turtim appellat. Sed in eadem servari solent viri nobiles, aut alias dignitate quamquam præminentibus, qui videntur aliquid adversis Regiam majestatem deliquerisse. In altero extremo ad Occasum insigne monasterium est Beneditinorum, vulgus appellat Westmonasterium: & huic proximum Regis palatum structuræ veteris, sed quo nunc reges parum delectantur. Palatio adjuncta est domus spacioſissima, nullis fulta columnis, in qua sedent Judices. Utumque ædificium flumini imminet, ut hinc illuc cymba vehi possint: In hac arce THOMAS MORUS posteaquam multis mensibus fuisse captivus, Calend. Juliis Anno Domini M. D. XXXV. productus est ad modo dictam Curiam, capitis causam dicturus apud tribunal Judicium à R. ege delegatorum. Ibat reus baculo innixus tam longam viam, corpore gravi ægrotatione in carcere debilitato, nihil tamen perturbationis vulnus præse ferens. Primum recitati sunt articuli criminum quæ illi objiciebantur. Mox Cancellarius qui Moto successit, ac dux Norfolkii, hunc in modum reum appellant: En vides, Magister More (sic appellant mediocri dignitate præditos) te graviter deliquerisse in Regiam Majestatem: arram speramus te, si modo relipcas, & abjures istam obstinatam opinionem, in qua haec tenus tam procacitet perstisti, veniam à Regis clementia consequiturum. Ad hæc Morus: Domini mei, ego summo cordis affectu ago vobis gratias pro ista vestra amica erga me voluntate: tantum illud oro Deum omnipotentem, confirmare dignetur me in hac quæ nunc sum sententia, ut in ea perseverem usque ad mortem. Cæterum quom reputo quām prolixi quamque graves articuli sunt, quibus oneror, vereor ne mihi nec ingenium suppetat, nec memoria, nec oratio, quæ sufficiat ad respondendum omnibus, præsertim quom in carcere tam diu fuerim detentus, in quo gravi ægrotatione contraxi corporis debilitatem, quæ me nunc etiam habet. Tum iussu Judicium allata est sella, in qua sederet. Ubi cotidie sedisset, prosequutus est institutum letitatem hunc in modum: Quod ad primum attinet articulum, qui conatur ostendere meam in Regem malevolentiam in negotio posterioris matrimonii

tritonii, confiteor ingenue, me semper resti-  
tisse illius serenissimæ Majestati. Nec est ani-  
mus super hoc negotio quicquam aliud dicere,  
quam quod hactenus semper dixi; ad hoc ur-  
gente me conscientia: per quam ut non debe-  
bam, ita nec volebam principem meum celare  
veritatem. Nec hic est illa proditio qua in-  
tenditur; quin potius, nūd fecissem, præter-  
tem in re tanti momenti, unde pendebat mea  
sententia, & principis honos, & regni tran-  
quillitas, tum verè fuisse, quod nunc obji-  
citur, malevolus, perfidus ac proditor. Ob  
hoc delictum (si modo delictum appellandum  
est) gravissimas dedi pœnas, extitus omnibus  
facultatibus meis, ac perpetuo adductus carcere-  
ti, in quo mensis jam quindecim tortos fui de-  
tentus. Sed his omnis tantum ad ea respon-  
debo quæ sunt hujus negotii præcipua. Quod  
objicitur, me incurrisse in peccatum violatae con-  
stitutionis, quæ proximè consilio prodita est;  
me jam in carcere agente; quasi malitioso ani-  
mo, perfidiose, ac proditorie Regiae Majestati  
de traxerim famam, honorem ac dignitatem,  
quæ illi per dictam constitutionem erat tributa-  
ta, videlicet quodlibi declaratus sub Iesu Christo  
supremum caput Ecclesiæ Anglicanae: in-  
primiss respondere ad hoc quod mihi objici-  
tur, quod Domino Secretario Regis ac vene-  
tabili Majestatis illius consilio, rogatus quæ  
mea esset de hoc sententia, nihil aliud  
voluerint respondere; quam me jam mundo  
mortuum esse, ne istiusmodi negotiis amplius  
solicitari, sed tantum meditari in Passione Do-  
minii nostri Iesu Christi. Dico me per istam ve-  
stram constitutionem ob hoc silentium non  
posse damnati capitum; eo quod nec vestrum  
editum, nec ullæ leges mundi possunt questi-  
quam ob silentium adducere morti, sed tantum  
ob dictum aut perpetratum facinus. De oc-  
culis enim solus judicat Deus. Ad hæc re-  
spontit Procurator Regius intepellans: At  
tale silentium, inquit, evidens argumentum est  
animi male sentientis de jure dicta constitutio-  
ne. Nam omnis subditus sinectus ac fidelis  
Regiae Majestati; si de dicta constitutione in-  
tetrogetur, tenetur & obligatur cetera omnem  
dissimulationem respondere categorice: Re-  
giū editum esse bonum, justum ac salutem.  
Ad quæ Morus: Si verum est quod habetur in  
legibus, eum qui facit videti conscientite, meum  
silentium confirmavit potius vestram consti-  
tutionem quam improbavit. Jam quod di-  
cis, omnem subditum fidelem obligari ut re-  
spondeat categorice si intetrogetur, &c. Re-  
spondeo, bonæ fidei subditum magis obliga-  
tum esse Deo, conscientiae, & animæ suæ, quam  
ulli alii rei in hoc mundo, maxime si talis con-  
scientia, qualis est mea, nihil offendiculi, nihil  
seditionis pariat domino suo. Nati illud pro-  
cesso vobis affirmo, quod nulli mortalium uni-  
quam detexerim hac in re conscientiam meam.  
Venio nunc ad secundum accusationis caput,  
quo arguo contra dictam constitutionem

molitus ac machinatus fuisse, eo quod ad Rof-  
fensem scripterim octo paria Epistolatum;  
quibus illum animarim adversus istud edictum.  
Evidem vobementer optarim eas Epistolas  
hic profieri ac recitari, quæ me vel convincen-  
tent vel liberarent. Cæterum quando illæ,  
quemadmodum prædicatis, per Episcopum  
existæ sunt, ipse non gravabor recitare senti-  
tentiam earum. In eum quibusdam ageba-  
tur de nostris privatis negotiis, pro vetere no-  
stra amicitia ac familiaritate. In una quoadam  
continebatur responsum ad Episcopi literas;  
quibus scire cupiebat, quid & quo pacto re-  
spondisset de ista constitutione. Ad id nihil  
aliud rescripsi, nisi me jam meam composuisse  
conscientiam, ipse componeret suam. Animæ  
meæ periculo, ac teste Deo vobis asseverero, ni-  
hil aliquid in illis literis à me scriptum fuisse. Ha-  
rūm igitur causa non possum per vestram con-  
stitutionem addici morti. Superest tertius ar-  
ticulus, qui intendit, quod quum de vestra con-  
stitutione examineret, dixerim eam esse simi-  
lem gladio utrinque lecaniti; propterea quod si  
quis vellet eam servare, perderet animam; si  
contradicere, perderet corpus. Idem quo-  
nam, ut dicitis, responderit Episcopus Roffen-  
sis, perspicuum esse inter nos fuisse conspira-  
tionem. Ad hæc respondeo, me nunquam fuisse  
loquutum, nisi conditionaliter: sic videlicet,  
si tale esset dictum, qualis est gladius utrinque  
incidentis; quo pacto posset quis evitare, quin  
in alterum incidet periculum. Hæc mea fuit  
oratio. Quomodo responderit Episcopus, ne-  
scio: si illius oratio cum mea congruebat, id  
nequaquam accidit ex con spiratione, sed poti-  
us ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine:  
Breviter: illud pro certo haberote, me nun-  
quam quicquam malitiose fuisse loquutum ad-  
versus vestram constitutionem: at fieri potuit,  
ut ad benignam Regis clementiam aliquid ma-  
litiose fuerit delatum. Post hæc vocati sunt  
per quendam ex officiis duodecim viri, juxta  
gentis illius consuetudinem; quibus traditi  
sunt atticili; ut super illis consultarent, ac post  
consultationem judicarent, ac pronunciarent;  
utrum Thomas Morus malitiose obstatisset  
prædictæ constitutioni Regis, at non. Qui  
quum per horæ quartam partem secessissent, re-  
versi sunt ad principes at judices delegatos, ac  
pronunciarunt Killim; hoc est, dignus est  
mortæ. Ac mox per Dn. Cancellarium lata est  
sententia iuxta tenorem novæ Constitutionis;  
His ita peractis Thomas Morus hunc in tho-  
dum ortus est loqui: Age, quando sum con-  
demnatus, quo jure Deus novit, ad exoneran-  
dam conscientiam volo liberius eloqui quod  
sentio de vestra constitutione. Primum illud  
dico, me septem annis intedisse animatum stu-  
diuntque metum in istam causam, verum hacte-  
nus in nullo Doctorum ab ecclesia probatissimum  
reperi scriptum; quod Laicus, aut ut vocant,  
secularis, possit aut debeat esse caput status  
spiritualis aut ecclesiastici. Hic Cancellarius

interrumpens Moris sermonem, Domine More, inquit, itane tu vis haberi sapientior, meliorisque conscientia omnibus Episcopis, tota nobilitate, tuto denique regno? Ad quæ Morus: Domine, inquit, Cancellarie, pro uno Episcopo quem habes tuæ opinionis, ego sanctos & orthodoxos vitos habeo plures centum, mecum sentientes, & pro unico vestro concilio, quod tale sit Deus novit, pro me habeo omnia Concilia generalia annis abhinc mille celebrata: & pro uno regno, habeo Franciam cæteraque orbis Christiani regna omnia. Hic Dux Norfolkii interpellans: Nunc More, inquit, perspicuè liquet tua malevolentia. Ad quæ Morus: Milord, (sic Angli compellant insigni dignitate præstantes) ut hoc loquar non incitat malevolentia, sed cogit necessitas ad exonerandam conscientiam meam, teste DEO, qui solus scrutatur corda hominum. Præterea dico & illud, constitucionem vestram esse perperam factam, eo quod vos professi estis, & jure juvando vosmetiplos obstrinxistis, nihil unquam molitorum adversus sanctam Ecclesiam, quæ per universam ditionem Christianam unica est, integra & individua, neque vos soli ullam habetis autoritatem citra aliorum Christianorum consensum condendi legem, aut instituendi concilium adversus unionem & concordiam Christianitatis. Nec me fugit, quamobrem à vobis condemnatus sum, videlicet ob id, quod nunquam voluerim assentire in negotio novi matrimonii Regis. Confido autem de divina bonitate ac misericordia, fore ut quemadmodum olim Paulus Stephanum persecutus est usque ad mortem, & tamen iudicii nunc unanimes sunt in cœlo, ita nos qui nunc discordes sumus in hoc mundo, in futuro seculo pariter simus concordes, & perfecta charitate unanimes. Hac spe fatus precor Deum ut vos servet una cum Rege, eique date dignetur bonos consultores. His ita peractis Thomas Morus reductus est in Turrim. Hic obiter accidit spectaculum ipsa condemnatione miserabilius. Margaretha filiarum Mori natu maxima, mulier præter eximiam formæ venustatem cum summa dignitate conjunctam, judicio, ingenio, moribus & eruditione patris simillima, per medium populi turbam, perque satellitum arma seorsim injectit, & ad parentem penetravit. Quum & mulier esset, & natura cum primis verecunda, tamen & metum & pudorem omnem excusserat impotens animi dolor, cum audisset patrem in Curia morti addictum esse. Hoc accidit priusquam Morus arcis portam ingredetur. Ibi in carissimi parentis collum irruens, arctissimo complexu aliquandiu tenuit eum. Cæterum ne verbum quidem interim potuit proloqui. Curæ, inquit Tragicus, leves loquuntur, ingentes stupent. Movit stipatores, tametsi duros, hoc spectaculum. Horum itaq; permisso Morus his verbis consolatus est. filiam: Margaretha, patienter feras, nec te dilrucies amplius. Sic est voluntas Dei. Jam pridem nosti secreta cordis mei: simulque dedit oscu-

lum ex consuetudine gentis, si quem dimittunt. At illa cùm digressa esset ad decim vel duodecim passus, denuò recurrit, & amplexa parentem rursus inhæsit collo illius, sed elinguis præ doloris magnitudine. Cui pater nihil loquutus est, tantum eruppebant lacrymæ, vultu tameam à constantia nihil dimoto. Nec aliud supremis verbis mandavit, quām ut Deum pro anima patri deprecatur. Ad hoc pieratis certamen plurimis è populari turba lacrymæ excidere. Erant & inter satellites, ferum & immitre genus hominum, qui lacrymas tenete non potuerunt. Nec mirum, quum pietatis affectus adeò valida res sit, ut imitissimas etiam feras moveat. Hic apud te quisq; reputet quām valido arietem pulsatum sit Thomæ Mori pectus. Erat enim erga suos omnes adeò φιλόσοφος, ut non aliis magis: sed eam filiam ut erat eximis prædita dotibus, ita diligebat impensis. Morum fortiter excepsisse sententiam mortis, aut etiam carnificis securim, minus admirandum existimo, quām pierates erga suos potuisse vincere. Nihil enim addubito, quin hic doloris gladius crudelius vulneravit Mori præcordia, quām illa carnificis securis, qua collum amputavit. Die Mercurii sequente, hoc est, 7. die Julii, productus est in planiciem, quæ est ante arcem. Mos est illic ut afficiendo supplicio, de ponte plebem alloquantur. At Morus paucissimi verbis est usus, tantum orans qui aderant, ut pro ipso Deum orarent in hoc mundo, se vicissim in altero mundo precaturū pro ipsis. Mox hortabatur atque instanter rogabat, orarent Deum pro Rege, ut illi dignaretur impertire bonum consilium, contestans se mori fidelem ac bonum Regis ministrum, ac Dei in primis. Hæc loquutus promptè constanter; vultu flexis genibus cervicem posuit securum exceptus, non sine gravi multorum gemitu. Erat enim bonis omnibus carissimus.

Quæ hactenus narravi, ferè continebantur inscheda apud Parisios jactata, ac per manus hominum volitante. Quisquis autem scriptis, videbat actis interfuisse. Quæ deinceps referam, partim ex amicorum literis, partim è tumoriibus accepit. Paucis antè diebus, h.e. XV. Cal. Julias Joannes Fischerus, Episcopus Roffensis, qui tum vitæ sanctimonia atq; austernitate, tum administrantis Sacramentis, tum assiduitate docendi voce simul & scriptis, denique mirabilitate in egenos, benignitate in studiosos, verum agebat Episcopum, ex arcedicta in qua captivus tenebatur, productus est, & ad Curiam, quæ ut antè dixi, Westmonasterio proxima est, frequenti satellitum armatorum stipatu perductus est, partim navigio, partim equo, ob corpusculi debilitatem, quam præter ætatem auxerat carceris incommoditas; licet ipse valetudinem suam semper & jejuniis & vigilis & studiis & laboribus ac lacrymis vehementer attenuasset. Ille vero tametsi non ignoraret ejus cognitionis exitum, nihil tamen perturbatus est, sed placido, ac propè etiam ad hilaritatem composito vultu ad tribunal evocan-

evocantibus paruit. Ibi juxta morem ejus regionis quem ante descripsi, sententia capitali damnatus est, supplicium datutus, simulatque Regi visum esset. Hoc adjectum suspicor, si forte sp̄e venia ac supplicii metu posset à sententia deduci. Mortis genus erat & fædum & horribile, quo tamen fuerant affecti Cartusiani aliquor, quos ajunt fuisse quindecim: quod ut credam vix possum adduci. Cartulianis adiunctus est Reginaldus monachus Brigittensis, vir angelico vultu & angelico spiritu, sanique judicii: quod ex illius colloquio comperi, quum in comitatu Cardinalis Campegii versaret in Anglia. Nam Cartulianorum novi neminem. Ajunt ex his quosdam fuisse per viam tractos, dein suspensos laqueo, ac spirantibus etiamnum exsecta intestina: quosdam etiam exustos igni, sed omnium incredibilem fuisse constantiam. Solet rumor rebus tristibus aliquid addere. At si hic verus est, videtur hoc esse consilium eorum qui regio obsecundant animo, ut immanitate suppliciorum cæteros absterreat. Nam facile divinabant, institutum plurimis improbatum iri, præsertim Ecclesiasticis, & religionis studio deditis. Sed ad Roffensem Episcopum redeo. Is accepta tam horrendæ mortis sententia, quum satellitibus stipatus reduceretur in arcem, ut ad ostium ventum est, versus ad satellites hilari placidoque vultu; Plurimam, inquit, optimi viti, vobis habeo gratiam pro officio, quo me euntem & redeuntem deduxistis. Dixisse hominem ex hilari suavique redire convivio, aded & color erat jucundior, & ipse toto corporis gestu, quatenus per gravitatem licuit, latitiam quandam præ se cerebat, ut nemini non esset perspicuum, sanctissimum vitum, ceu jam portui vicinum, toto peccatore ad illam beatam tranquillitatem aspirare. Nec diu dilata est mors. Ad decimum Cal. Julii productus in planiciem, quam Angli vulgo dicunt Turris collem, vultu non solum constanti, verum etiam alacri, paucis alloquutus est populum. Primum Regi regnoque bene precatus est. Mox ardenti magis quam prolixa precatione se ipsum Dei misericordiae commendavit: simulque procumbens in genua, gracili & exhausta cervice securum exceptit. Neque enim apud Anglos carnifices gladio cervicem incident, sed damnato in truncum ad id apparatum inclinanti, securi caput amputant. Quanto cum animi dolore viderint hoc spectaculum quibus religio pietasque cordi est, & qui Christi spiritum in pastore operantem experti fuerant, facile quivis ex se se poterit estimare. Cæterum quod mitiore pena affectus est, quam minabatur judicium sententia, sunt qui in causa fuisse putent, quod metuerint, ne senex & exhausto corpusculo, si per viam tam longam rhesa trahave tractus fuisset, sponte expiraret. Ego suspicor, ob hoc mortis genus atrocius denuntiarum: ut immanitate supplicii territus mutaret sententiam. Nec desunt qui prædicant, ob hoc ipsum acceleratam mortem, quod Romanus Pontifex Paulus Tertius Episcopum Roffensem ob insignem

doctrinam ac pietatem in Cardinalium ordinem allegisset. Ex amicorum literis cognovi, in Germania inferiore sparsum tumorem, quum Episcopi Roffensis caput esset in ponte Londoniensi de more expositum, non solum non emarcuisse, verum etiam magis effloruisse, vivoque factum similius, ut multi crederent fore, ut etiam loqui inciperet: quod in quibusdam martyribus factum legitimus. Ea res, seu fama, quum vulgo inerebuisse, sublatum est atq; abditum. Populus enim credulus sèpe levi quapiam occasione turbasingentes excitat. At veriti ne idem eveniret in capite Mori, priusquam exponeretur, aqua ferventi decoctum est, quo plus haberet horroris. Hæc aliaque multa his similia prescribuntur è Flandria Britannis vicinore: penes alios sit fides. Utinam huc pervenissent acta Roffensis, quemadmodum acta Mori pervenerunt. Ex Mori responsis facile liquet, illum destinasse mori citius, quam suæ sententiaz canere palinodiam. Quo animo videntur omnes fuisse qui ante Morum extincti sunt. Morum ac Roffensem & illud movit, opinor, quod qui bene natos, laute educatos, in honore habitos, in carcere detinet, non dat vitam, sed longiorem & acerbiorum mortem. Ego si Regi fuisse in consilio, pro mea stultitia conatus fuisse illi persuadere, ut pro sua solita clementia cæterisque virtutibus, per quas nomen ipsius haec tenus erat apud omnes nationes gratiosum & amabile, ab illis Britanniaz lumibus, totique orbi notis abstineret, aut certe poena mitiore contentus esset. Rursus, si qui perierunt me adhibuissent in consilium, suafissim, ne se intruendi procellæ palam opponerent. Violenta res ira regum, cui si incommodè resistas, graviores excitat tumultus. Equi feraces, quemadmodum & tonitrua, non vi sed populi mate leniuntur. Et nautæ non pugnant adversus impotentem tempestatem, sed vel quiete vel obliquis cursibus utentes expectant cœlum commodius. Multis rebus medetur tempus, quas nulla vi possis emendare. Res humanæ semper quidem fluctuant, sed quoties incidit insignis aut fatalis rerum mutatio, multi periclitantur qui non cedunt turbini. Veluti quum Julius Caesar aperiret januam tyranzidi, & Triumviti junctis copiis imperium orbis occuparent, laudatissimi qui que viri perierunt, intet quos erat & M. Tullius. Qui Monarchis serviant, iis quædam dissimulanda sunt, ut si non queant obtinere quod judicaverunt optimum, saltem aliqua ex parte moderentur principum affectus. Dixerit aliquis, pro veritate mortem oppetendam. At non pro quavis veritate. Si tyranous jubeat, aut abjura Christum, aut pone cervicem: ponenda cervix. Sed aliud est silere, aliud abjurare. Si fas est te dissimulare Christianum citra grave scandalum, multo magis licuisse hic esse tacitum. Sed inepte facio, qui de rebus tam absurdis disputem, qui nunquam interfuerim Monarcharū consiliis. Itaq; de tota causa judicium aliis relinquo. Illud satis constat, eos viros si quid peccarint, nulla in Regem malevolentia peccasse,

peccasse, sed simplici sinceraque conscientia errasse. Hoc sibi penitus persuaserant, hoc medullis infixum habebant, sanctum, pium, Regi honorificum, regno salutare esse quod tuebantur. Argumento est, quod nullus illorum affectarit regnum, aut alteri afferere conatus sit, nec ullam molitus sit seditionem, aut ullas contraxerit copias, ac ne verbum quidem excidit odium conspirationem resipiens. Silere cupiebant si licuisset, sed patienter ac placide mortem exceperunt, nihil aliud quam Regi regnoque bene precantes. At in atrocibus etiam criminibus magnam culpæ partem excusat simplex ac pura conscientia, animusque non lædendi, sed bene merendi cupidus. Tum apud efferas etiam nationes frequenter exitimæ virtuti præstantique doctrinæ honos est habitus. Platonis apud Aeginetas juxta civitatis constitutionem capite plectendo, profuit Philosophi cognomen. Diogenes impunè penetravit in castra Philippi regis Macedonum, ad quem pro exploratore adductus, libete exprobravit Regi insaniam, quod non contentus suo regno, semet conjiceret in periculum, ne perdetet omnina. Non impune tantum, sed etiam cum munere dimissus est, non ob aliud, nisi quod esset Philosophus. Quemadmodum Monarcharum in studitos benignitas ploratum honesti nominis illis conciliat, ita diuersi tractati plurimum invidiae conflant illis. De his præcipue loquor, qui scriptis inclaruerunt apud omnes nationes, & quotum memoria videtur apud posteros futura grata. Quis nunc non execratur Antonium, qui Ciceronem ferro peremit? Quis non detestatur Nettонem, qui Senecam occiderit? Nec minimum gratiæ decepsit Octavii Cæsaris nomini, quod Ovidium ad Getas relegavit. Hæc nequaquam eo mihi dicuntur, ut Regem Christianum cum impiis principibus conferam, aut de negotio cuius circustantias non novi pronuntiem, quod etiam periculum abesse, temerarium esset: sed ut ostendam quibus rationibus fuerim conatus persuadere, ut Rex parcendo viris pietatis eruditiois commendatione jam immortaliati conlectatis, suo quoque nomini consulteret. Plausibilis semper est præpotentum clementia: sed tum clarissimos fuit applausus, quoties viris illustribus ac de republica bene meritis impeheditur. Omne solum forti patria est: & exilium fortibus ac præclaris viris sœpe cessit felicitet. Mottis invicta gravis est. Quum rex Galliarum Ludovicus XII. regnum adeptus pararet divortium cum Lodovici regis XI. filia, Maria, nisi fallor, nomine, res displicuit quibusdam bonis; ex quibus Johannes Standoch, & hujus Discipulus Thomas, in concione nihil aliud dixerant, nisi Deum orandum esse ut Regi inspiraret bonum consilium. Quæ apud populum dicuntur, ad seditionem spectant: & hi deliquerant adversus Regis dictum. Rex tamen nihil aliud quam vertere solum iussit, nec quicquam admittit facultatum: at idem negotio quod agebat confessi, revocabat eos. Hac moderatione

rex ille & suo consuluit instituto, & gravem iniuriam evitavit, quod uterque esset Theologus, uterque sanctitatis opinione commendatus. At Thomæ Mori mortem deplorant & ii, quorum instituto pro viribus adversabatur. Tantus etat hominis in omnes candor, tanta comitas, tantaque benignitas. Quem ille vel medius eriter eruditum ab se dimisit indonatum? Aut quis fuit tam alienus, de quo non studuerit bene mereri? Multi non favent nisi suis, Galli Gallis, Germani Germanis, Scotti Scotorum; at ille in Hibernos, in Germanos, in Gallos, in Scythas & Indos amico fuit animo. Hæc naturæ benignitas sic Morum omnium animis penitus infixit, ut non secus ac parentem aut fratrem plorent extinctum. Ipse vidi multorum lacrymas, qui nec viderant Morum, nee ullo officio ab eo fuerant affecti: ac mihi quoque dum hæc scribo, nolenti ac repugnanti lacrymæ profluiunt. Quomodo nunc affectum credimus Erasmum nostrum, cui cum Mortuam arcta fuit amicitia, ut prorsus, juxta Pythagoram, in duobus eadem esse videretur anima? Evidem misere metuo, ne bonus ille senex suo Moto commoriatur, si tamet adhuc in via vis est. Sunt qui hos consolantur hoc argumento, quod dicunt, non deplorando esse, sed gratulandum potius iis, qui tali morte vitam finierunt. Est istud, fateor, non leve doloris lenimen: at ego Morum optatim incolumem, quum omnium studiorum gratia, tum verè præcipue familiæ causa, quam & numerosam & plane philosophicam reliquit: filium natum minimum iam matutum ac liberotum parentem, filias tres, & has nuptias ac libertorum matres, eruditas omnes, ac sub patetia disciplina ad Christianam Philosophiam pulchre institutas, uxores fidelem, ac jam anum, ex qua tamennulam prolem sustulit. Has omnes cum sponsis, neptibus ac neptibus iti unis ædibus alebat, tanta religione, tantaque concordia, quantam non temere repetias in collegiis Monachorum ac virginium. Hic mihi cogita, vix optimè, qui luctus, quæ lacrymæ, qui gemitus, qui dolores totam illam familiam confiant. Quot egregias animas vulneravit illa scutis, quæ Mori caput amputavit, multi demirantes rogant, quid tanti sceleris commiserit vix semper habitus innocentissimis motibus? Quibus vix habeo quod pro comperto respondeam, nisi quod partiti conjiceat licet ex articulis Moro objectis & illius responsione, partiti ex amicorum literis ac fama vulgata discrete datur. Rex, ut omnibus notissimum est, aliquot annis moliebatur repudium cum Regina Caroli Cæsaris materterea. Motus prælagiens quo recesset evalvra, ultiro deposita Cancellarii munus, alia quædam causatus, ne cogereretur ejus negotii exequitor esse, quod apud se se non probabat. Erat enim mēritis tam religiosæ, ut proprior esset superstitioni quam impietati. Sic cogitabat, Privato licebit quiescere: Cancellatio, qui os est regis, non licebit. Videbat fore, ut cogeretur multos condemnare morte, quos judicabat optimos: ad hæc exitum tam negotii incertum

tum esse, ob Ecclesiasticorum potentiam ac gentis illius solitam in reges ferociam. Tale si quid natum fuisset, prima victima fuisset Cancellarius. At me si Morus in consilium adhibuisset, quum esset tam anxie religiosa concientia, dehortatus fuisset eum ne susciperet dignitatem. Vix enim fieri potest, ut qui in arduis principum functionibus versantur, in magnis pariter ac parvis justiciam ad unguem observent. Proinde mihi gratulanibus quod tales habetem amicum in tanto rerum fastigio collocatum, respondere soleo, me non prius illi de ejus dignitatis accessione gratulaturum, quam juberet ipse. Jam cum enim nescio quid sinistri præslagiebat animus. Nec Regem arbitror latuisse, quam ob causam Morus deponebat Magistratum, utcunque dissimulavit: quod Homerus indicat, Monarchis esse proprium, offensionem in animo tegere, donec multo post tempore detur ulciscendi opportunitas. Interim Rex minis ac fulminibus Clementis VII. factus irritior, adjecit animum ad vetus illius regionis exemplum, ut regnam à jure Pontificis Romani assereret, & utiusque status supremam potestatem sibi vendicaret. Cæterum quin sentiret, plurimorum animos ab hoc instituto abhorre, ne qua cooricitur seditio, promulgatum est edictum, ut quicunque non abjuraret Romani Pontificis autoritatem, aut improbarer novum matrimonium, capitalis esset. Verum hoc edictum non est promulgatum, nisi Roffense & Moro jam duces in custodiam. Roffensis semper plurimum tribuit sedi Romanæ, & adversus repudium libris etiam conscriptis pugnarat, sed tum quum adhuc integrum esset consulere. Morus scripsit nihil, sed pro officio quod gerebat, conabatur Regis animum in eam inflammatum, quam putabat & Deo gratam, & Regi tutam, & regno salutarem. Erat igit magna familiaritas cum Episcopo Roffense, tum prædium quod habebat Morus, non procul aberat à Richemonda. Ibi Regio palatio

vicina sunt duo monasteria vehementer opulenta, & quod majus est, bona disciplinæ, alterum Cartusianorum, alterum Brigittensem. Ab his facile crediderim sollicitatum Mori animum, ut Ecclesiæ causam tueretur: at ipsum aliquid effutisse quod rebellionem saperet, nunquam sum crediturus, ut qui ex crebris colloquis periplexerim admirabilem quandam hominis cautionem. Evidem vix alium Anglum competi, qui tam medullitus amat præcipitem suum, aut magis ex animo bene vellet, quam ille. Unde igitur hic tumultus? Violenta res est, conscientia irragis metuens Deum offendere, quam mortem oppetere. Forte sefelli cum periuasio. At demitor si vir ille levibus argumentis adductus est, ut sic obfirmiter animum. Maluit ipse perpeti, quam in alios facere: quod necesse fuisset, si insuscepto manere perseverasset. Quin & Reginæ veteris, singulare pietate scemina multos miseret, non tantum ob id, quod dudum tanta dignitate florens, nunc in eum statum tedastra est, ut ob divertitum nec eo frui possit, qui cum tam diu vixit, nec alteri nubere ob Clementis tentiam; verum etiam quod videt, non dubium quin cum summō animi dolore, ipsius causa tales viros trucidari. Hujus porro Tragedia quis sit futurus exitus, Deus novit. Illud in confesso est, per necem beati Thomæ Actensis, plurimum & auctoritatis & opum accessisse statui Ecclesiastico apud Anglos. Qui res mortaliū suo imperficiutabili consilio moderatur, pro sua bonitate dignabitur hæc omnia vertente in suam gloriam. Tantum è scheda, tum oribus & amicorum literis, hactenus licuit cognoscere: si compertia fvero noctis, tibi communicabo. Tu fac vicissim ut per te sciamus quid agat rex Sion cum suis Prophetis, populoque retineto, de quibus hic mira feruntur, an vera, nescio. Apud Lutetiam  
Parisiorum, X. Cal. Angusti,  
An. M.D. XXXV.

F I N I S.



*Francofurti, ad Mænum,  
Ex Officina Christiani Genschii.*

SVLVS CESAR SCAGIGER in Orat. de Verbo INEPTI, p. m. 425. Thomas Morus vocat Anglicum Socratem, ejus Carmen in Anglum, Gallica Lin, que assertorem, magno ornatum oratione, agens. Extat Viri, omni tyranni majoris, THOMAE MORI, adiò stativum Epigramma, ut cum eo quid compararem vir habeam. Ibi solidum suum pergyna Britannica, Britannica pergyna monibus affectantem, taret adiò, ut ostendat cum, qui siccus ad Gallicum modum per omnia componi expertus, Gallica omnia nihil minus quam Gallicè assequi. Tuus quod servit et compotis defixis Cicerone, Anglicus illi Socratis et argumento et numeris applicavit.

Prater carmen hoc, quod occurrit p. 241, 242. pro ceteris album quoq; meretur cal-  
culum Carmen de Tito et Alure, quod estat p. 254.

Thomas Morus cum incidisset in nobilis guellam, qua aliis rebus religidit,  
cum labore atq; dolore crines complicabat, dixit: Nisi Deus pro hoc tuo tanto labore  
tibi infernum reddat, magnam tibi profectò faciet injuriam. Martinus Schoockius Exercit.  
variar. de diversis materiis Exercit. XXIV. p. 347.

D. VI. Jul. Ann. M D XXXV. Thomas Morus, pertinacia Fischeriana (qui decreta Regio de sacrorum preventuum Annatis decimisq; Regi, tanquam supremo capite Ecclesie, sic Anglicanæ ~~pro~~ imperat, persolverendis reclamabat, et Regem Ecclesie Anglicanæ sub Christo supremum caput agnoscere detrectabat, ac propria ~~re~~ perditionis reus peractus securi publicè percussus fuit, caput conto affixum, & supra pontem Londinensem collocatum) consors, pacem hunc candam, capite truncatus. Hic fuit ille Morus, cuius opera et alia plurima opuscula, tam Latina, quam vernacula lingua conscripta notiorum reddiderunt eruditissimum, quam ut in me opus sit predicari. De monib; ejus qui severissime judicaverat, dicacitatem solam reprehenderunt, tanquam ad Sales & sanctas (ne dicam somnata) frumentorum, quam tanki Viri gravitatem deceret, quibus nemo in ipsa quidem calamitate, & mortis articulo, viri aut ne viri distinxit: liquidem curris custodi sumnum corporis indumentum tanquam ex constitutio*n*e sibi depositum, pilorum tradidit. Tono si pro opera narrata iam damnatus nihil à se datur contendit, Regis ergo illud caput licens, quod raserat: ut sui juris esse probaverit, angloissimam mercedem solatorum. Pergma sine locum supplicii consenserunt, manu precedenti eisdem porrexit, et ascendentem inquit, adiures queso, ad descendem quod attinet, non sum solicitus. Cerimonem vero jam cedendam, postquam supra stipitem subjectam protenderat, barbam (quam prouigiam albat) manu amovit, capit, non item barbe amputanda potestatem carnifici factam residenti vultu professus. Abrahamus Scultetus Annal. Evangel. Part. II. p. 485, 486.

Peculiaris quid in scribendo proscriptoria hac erat, quod naturâ facile ter la tua exprimeret, omnibus Papistis opiniones quoad speciosiores faciem lectori tangunt ab aliis colliguntur. Luteris expedit deformitatem lucido vel occultando, nec minor tollentia incommodas omnes consequuntur, quae ex doctrina Reformatorum celi poterant, obsculosponendo et quavis occasione data laceti abundabat tabellis, quas ad propositum suum subi applicabat. — Burnet. Hist. Reform. lib. 3. pag. 355, 356. in sol.

Thomas Morus, qui Henrici VIII. item adversus Lutherum fuerat, illum ad eis ipsum defendere voluit, virerat, ut reshiberet auctorum Christianus, et modum nobilis, et rarus sua lenitatem accendi. diffiniebat, qui tamen usq; adeo sui ipsius oblitus est in his adversis Lutherum Responsa quod vide supra pag. 29. et seqq;. ut in eadem maiorem sed sermonis copiam evocauerit, quam quis unquam fortassis scribere posuerit. Liberto totus quartus nihil aliud est, quam mera impunitas, ne minimo adhibitio rationis; granulo, quo venia aliquid haberet nullamq; aliam Authori celebritatem conservarvit, nisi quod reno in tota Europa majoris derit delectatitudinis, in travis vocibus cum bona latinitate conciliandi. Quamvis tanta quadroque

sit animi eis in potentia, ut vel amabilem, nam puritatem effectibus suis emollet. @  
Resto ad Cor. 1d. quod in Mart. Lutheri sermoni, in ecclesia Zony, 1687. mit.

De Authoro. Vides plura cum Thonam Pone-Hout, in Celsus Celebrior. Authorum  
pag. m. 531. et pag. Magistrum ponymolog. sit. lib. Morus. Fetherung in Theatro  
Virorum Favorum pag. m. 813. — Richardsonum Paceum libro defructu  
qui ex doctrina percepitur. pag. m. 82. et pag.

Jacobus I. Rex Anglie in glas abuglauibz galaties 362.

Vid. Güntherov Glossarum Historicorum p. m. 801.